DISSERTATIONES

HISTORICO-CRITICÆ

De Utroquè Archiepiscopatu Metropolitano
Kijoviensi, & Haliciensi, uti olim distincto,
Nec non
De Episcopatu Leopoliensi Ritûs Græco Uniti
à
P. CLEMENTE CHODYKIEWICZ S. Th
Præsentato, Chronologo Provinciæ Russiæ Ordinis Prædicatorum
Certioribus Documentis
JLLUSTRATÆ



Annô Domini 1770.

ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO AC REVMO DNO

D. LUDOVICO LEONI

Jn Szeptyce

SZEPTYCKI

Epiſcopo Leopolienſi, Halicienſi, & Camenecenſi in Podolia, Archiepiſcopatûs Metropolitani Kijovienſis & Totius Ruſſiæ, nec non Abbatiæ Kijovo-Pieczarenſis Coadjutori & Adminiſtratori Apoſtolico, Abbati Commendatario Mielecenſi, Equiti Ordinis Sancti Stanislai Epiſcopi & Martyris, Mecænati ac Benefactori Ampliſſimo.

Fr. CLEMENS CHODYKIEWICZ Ord: Præd: Perennem Felicitatem.

P*Ublicis Reipublicæ Literariæ votis facturus ſatis, Univerſam Eccleſiæ Ruthenæ Unitæ Hierarchiam, ex privatis ſingulorum Epiſcoporum Archivis depromendis documentis illuſtraturus, Tuis hac de re ad Cunctos Præſules directis adjutus Epiſtolis, cum intellexiſſem ex omnium gratiſſimis reſponſis, promiſſa monumenta propter præſentem Calamitoſum Regni Statum feliciori, pacifico reſervari tempori, Te primum omnium nactus ſum, qui hac in parte Doctori gentium ſimilem Te demonſtrâſti, quùm omnium Eccleſiarum Sacri Ritûs Tui Solicitudinem in promovendo earum honore habens, ſubſidio Archivi Tui cunctos prævenisti. Summam pro-*

inde votorum meorum consequutus videor; cum has Dissertationes de Præsulibus Ruthenis illustratas, Tibi Præsuli Metropolitanæ dignitatis Candidato nuncupandas offero; qui ad Te jure spectare videntur. Archiepiscopatûs enim Kijoviensis Metropolitani declaratus Coadjutor, & futurus Successor, Prædecessores Tuos describendos in Antecessum Solicitudinis Tuæ curâsti, Halicienses verò Archiepiscopos Metropolitanos, uti olim à Kijoviensibus diversos, & planè hucusque ignotos, pro evidentia Sacræ antiquitatis vindicandos statuisti, ut ipso doceres documento, abscondita in lucem à Te producta, atq; Episcopatûs Haliciensis originem ignotam illustrare. Leopoliensium quoq; Episcoporum Seriem, à Scriptoribus cùm Latinis, tum Polonis minori accuratione, Literis mandatam, Archivi Tui locupletissimi evidentioribus Testimoniis deducendam diu in votis habuisti, ex quo cunctis compertum est, ita à Te Prædecessorum Tuorum imitari exempla Virtutum, ut Illi in Te quasi redivivi, Tu verò in illis glorificatus videaris. Spectata generis Nobilitate, Orthodoxæ Religionis Studio, rerum gestarum prudentiâ, & dexteritate, verum Te Illorum hæredem comprobas & Successorem. Paterno Maternoque genere Natura Te effecit Nobilissimum, Dignitas Excellentem, Gratia Clariorem.

Paternum Genus à Titio Romanorum Nobilissimo ducis, qui Imperante Trajano cùm Septem filios Titios suscepisset, ob id Septitij Nomine auctus est, cui Plinius Epistolam suam primam inscripsisse legitur. Ab hoc Septitio prodiit Septitius Clarus, cujus Successor Septitius ab eodem Plinio binis memoratus Epistolis ex Romano Imperio quùm in Russiam migrâsset, Septitius Hlib nuncupatus, reliquit Successorem Olympium Septitium, qui propter heroica gesta à Ducibus Russiæ Bonis

Wojzczańce,

Wosczańce. Uherce, & Kalnojosty, & Szeptyce à Suo vocatis agnomine, præmiatus fuisse vetusto diplomate comprobatur. Hic reliquit JACKONEM seù HYACINTHUM, qui primus Christianam Religionem amplexus, duos reliquit filios THEODORUM, & SIMEONEM hæredem bonorum Septyce, hic ex ANNA MONASTERSKA, NICOLAUM Proavum Tuum, in lucem dedit, qui ex CATHARINA BANDROWSKA ADAMUM Avum Tuum edidit, hic ex MARIANNA JAROSZYNSKA PHILIPPUM Patrem Tuum, Venatorem Præmisliensem, cum ELISABETHA CHRONOWSKA Matrimonio junctum genuit, ex quibus Tu LUDOVICE & SIMON Frater Tuus Præfectus Kozicensis, Vir Spectatissimus, qui in Tribunalibus Regni binis, Judicem Deputatum egit, cum ANNA TRĘBINSKA præstantissimis animi dotibus prædita sponsatus, nuper Castellani Præmisliensis honore à STANISLAO AUGUSTO Rege auctus est, in lucem prodiisti. Tam antiquos aborigines, tam Jllustres Majores sortitus es.

Nec minus clarum Maternum Genus Tuum laudandum venit. ELISABETHA enim Te enixa est, quæ ALEXANDRUM CHRONOWSKIUM, & CONSTANTIAM de Dobrocin PODOSKA Parentes, JOANNEM SIGISMUNDUM, & EVAM KISIELEWSKA, Avos, JACOBUM JAXAM de Chronow CHRONOWSKIUM, qui à JAXA Principe Serbiæ, Filio LESCONIS III. Ducis Poloniæ descendit, & BARBARAM PRUSZYNSKIAM de Stemmate Rawicz Proavos habuisse deducitur. Hæc est Materna Origo. Restat Aviam Tuam memorare, MARIANNA seù MARCIANNA ADAMI SZEPTYCKI Avi Tui Consors, THEODORI JAROSZYNSKI Subdapiferi Zytomiriensis, & ANASTASIÆ JUREWICZOWNA filia, PE-

TRI in Jaroſzyńce JAROSZYNSKI & PIĘKOWSKA Nepos fuiſſe perhibetur. Utroque igitur genere illuſtris, affinitate multarum Clariſſimarum Familiarum, quibus recenſendis hic locus non eſt præſtitutus, conſpicuus, non tantum Viris in Equeſtri Ordine de Patria bene, meritis, verùm etiam Eccleſiaſtica Dignitate conſpicuis refulges. BARLAAMUS hoc honore primus inſignitus fuit, pro Deo, Eccleſia, Lege, Patria, & Rege, emeritiſſimus, cujus Anni, ut AUGUSTUS II. in Diplomate laudator eſt, nonniſi in promovendo Cultu Divino numerantur, ad diverſos Epiſcopatus promotus, & vocatus, ſemper recuſavit, quo magis liberiores Civium lucraretur animos, tandem poſt quadraginta quatuor Annos in regimine Archimandriæ Uniovienſis ſolâ pietate & virtute emenſos, fugientem ſequutus eſt honos Epiſcopatûs Leopolienſis. Quid ſatis dicam de ATHANASIO Metropolita totius Ruſſiæ? quem commemorare, laudare eſt, ſufficeret ille unus ad totam Clariſſimam Familiam Tuam commendandam, à quo decus & ornamentum habuit maximum, quùm ille in vivis ageret, niſi adeſſent alij Superſtites, uti HIERONYMUS Płocenſis Cathedræ Epiſcopus & Senator Poloniæ, & ATHANASIUS Præmislienſium, Samborienſium, ac Sanocenſium Epiſcopus. Tantorum fæcuda Parens Epiſcoporum SZEPTYCCIANA Proſapia, Te ad augendum generis ſplendorem, & illuſtrandum Epiſcopatûs honorem meruit filium.

Porrò Dignitas Te fecit virtute excellentem, electus enim es à DEO pro Ejus promovenda gloria, pro honore Sacri Ritûs Tui, pro Sacra Catholicæ Eccleſiæ Communione ſervanda & amplianda, pro Clero informando. Hinc eſt quòd Te AUGUSTUS III. Rex Epiſcopatu, & futura Metropoliæ Succeſſione dignum declaravit,

STA-

STANISLAUS AUGUSTUS inter benevolentiæ documenta Te Equitibus Tutelaris Sui Sancti Stanislai adlegit, nisi quia Regiæ Majestati compertum fuit, Te Ecclesiæ Orthodoxæ, Patriæ & Regibus fore fidelissimum. Si Regum meruisti benevolentiam, Procerum quoque possedisti affectus, perindè namque æqualibus, atquè infimis charus, sic Episcopum Te geris, ut non obliviscaris Te esse Amicum, eâ indulgentiâ, & affabilitate; ut quasi amicus cum majoribus & æqualibus, cum inferioribus quasi Parens cum filiis vivas, par omnibus, & hoc tantum cæteris major, quo melior. Scis Sibi quemque præstare, quod videat, quod Te frequentet, ac tanto liberalius, ac diutius voluptatis hujus copiam præbes. Mirantur svavitatem Tuam, quibus nulla satietas adest, quando sincera omnia, & vera, & ornata gravitate; quo fit: ut Magnates injuriam Sibi adscirent, si Leopolim vidissent, Te non visitato, Te non salutato, Te non familiaritèr adloquuto.

Divina tamen Gratia Te efficit Clariorem, exemplaris enim Tua pietas, Divinum Cor conciliare Sibi quotidie, Ejusque honorem zelare nunquam desinit, hunc zelum testatum fecisti in retentis Episcopalibus Cathedris ne ab alienis occuparentur, in restitutis Templis avulsis, in frequenti Pontificali Celebratione, in diversis Regularium Templis solemnitèr perfuncta, in Sacris Ædibus erectis, inter quas præcipuum Metropoleos istius ornamentum est insignis Basilica Cathedralis Sancto Georgio Martyri ædificata, In immensum diffunderetur Oratio mea, si Tuorum cuncta gestorum fidelissimè susciperem enarranda, Satis dixi, si non satis Te laudatum pronunciavi.

Benigno igitur animo has Dissertationes meas reci-

pies, quas Tibi gratas fore non diffido, in tesseram & devinctissimi Cordis pignus Tibi oblatas, ut Tuo magno Exemplo alij Præsules ad Suarum Ecclesiarum origines illustrandas provocentur. Vive felicissimos Annos, æternaqué laude florentem Virtutis Tuæ gloriam, quam diutissimè incolumis amplioribus auge meritis, mequè solitâ Tuâ complectere benevolentiâ.

5

GENEALOGIA

Clarissimæ SEPTICCIORUM Familiæ Ex Authenticis Documentis Collecta

TITIUS SEPTITIUS, qui Jmperante Trajano Cæsare floruit, cui Plinius Secundus Epistolam Primam scripsit. à quo

SEPTITIUS Clarus, ab eodem Plinio Lib 1. Epist: pag. 20. laudatus, à quo

SEPTITIUS, quem idem Plinius Lib. 7. & 8. Epistolis memorat in Russiam veniens, HLIB SEPTITIUS appellatus, à quo

OLYMPIUS SEPTITIUS à Ducibus Russiæ Bonis Szeptyce à Suo Nomine vocatis, Woszczańce, Uherce, & Kalnofosty pro heroicis gestis præmiatus, à quo

Jacko seù Hyacinthus primus Christianus factus à quo duo filij.

Semion seù Simeon hæres Bonorum Szeptyce cum Anna Manasterska à quo

Regina M. Dubik Jaworski Uxor, & Nicolaus cum Catharina Bandrowska, ab his tres filij

I. Adamus Cum Marianna Jaroszyńska

Anna, Philippus Venat: Præmisliensis Mci Ulanicski Uxor. Elisabeth Chronowska.

LUDOVICUS LEO Episcopus Leopoliensis &c. Coadjutor Metropolitæ Totius Russiæ.

Jacobus Venat: Buscensis. Basilius Ord. S. B. M. Constantia Trzebuchowska.

Simon Castellanus Præmisliensis Præfectus Kozicensis Anna Trembińska Consors.

MARIANNA.

II. Elias, cui cesserunt Bona Terło Zaleska Uxor.

Ludovicus, Dobrzyniecka Uxor.

Joannes. Dominicus. Theresia Jachowiczowna Uxor.

Ludovicus. Nicephorus Ord. S. Basilij Magni.

III. ANDREAS

Michaël. Joannes. Stanislaus. Alexander. Michaël

Athanasius Episcopus Præmisliensis &c.

Joannes, Theresia de Tarnowskie Leduchowska Uxor.

Athanasius.

Theodorus, cui obvenerunt Bona Woszczańce à quo

Alexander, Eva Winnicka Consors.

Stanislaus. Alexander Zacharias, Ensifer Præmisliensis, Eva Lityńska Consors. à quibus quatuor filij.

I. Barlaam Episcopus Leopoliensis Haliciensis &c.
II. Alexander Ensifer Bielscensis, Barbara Wyszpolska Uxor.

Athanasius Metropolita Totius Russiæ.
Basilius Præfectus Tyszoviensis Sterilis.
Marianna Mci Turzański Pocillatoris Zydaczoviensis Consors.
Anna Mci Bielski Vexilliferi Leopoliensis Uxor.
III. Theodorus Pincerna Trembovliensis Mazarakowna Uxor.

Adamus qui in expeditione bellica ad Gedanum circa Electionem AUGUSTI III. occubuit Sterilis.
Anna Mci Korytko Pocillatoris Mielnicensis Uxor.
Marianna Mci Lisowski Uxor
IV. Stanislaus Eustachius Venator Buscensis

Hieronymus Episcopus Płocensis.
Georgius Præfectus Obuchoviensis, Wkryńska Uxor.
Franciscus Dapifer Leopoliensis, Krosnowska Uxor.

Petrus, cui cesserunt Bona Uherce Promińska Consors à quo 4. Filij.

I. Alexander, Lisowska Uxor.
Joannes, Brylińska Consors.

Nicolaus Vexillifer Laticzoviensis Dwernicka Uxor habet Prolem.
Magdalena Mci Georgij Turkuł Consors.
II. Constantinus, Szpotowna Consors.

Vladislaus, Casimirus Thesaurarius Gostinensis, Kuropatnicka Consors.
Constantinus Ensifer Præmisliensis, Justina Lipska Consors.
III. Theodorus Sterilis.
IV. Gabriel Sterilis.

DISSERTATIO
HISTORICO-CRITICA
De Archiepiſcopis Metropolitanis Kijovienſibus.

CAPUT I.
De Hierarchia Eccleſiæ Ruthenæ Unitæ.

I. ECcleſia Ruthena, Sæculo Nono, Vladimiro Magno totius Ruſſiæ Principe, gentiſque ſuæ Apoſtolo, in Communione Romanæ Eccleſiæ, Chriſti Fide initiata cſt, primumque Archiepiſcopum, Metropolitam Kijovienſem, Michäëlem Catholicnm nacta, magnis licèt Græcorum agitaretur conatibus, ſemper tamen in obedientia Romani Pontificis cònſtans perſeveravit. Anno ſiquidem 1146. Prælati Rutheni Concilium Nationale Kijoviæ habuêre, quo ſe opponerent Schiſmati per Michäëlem Cerularium Patriarcham Conſtantinopolitanum excitato, deinde aliqui ejuſdem nationis Metropolitæ Apoſtolicæ Sedi obedientiam præſtiterunt, quam

pariter universa gens per suos Legatos JNNOCENTIO Papæ IV. in Concilio Generali Lugdunensi primo professa fuit. Jmmortalem hac de re memoriam reliquit Isidorus Cardinalis, qui in Concilio Florentino pro unione Orientalis cum Occidentali Ecclesia stabilienda, plurimùm adlaboravit. In Concilio denique Brestensi per Michäëlem III. Unio decreta est, ad quam perficiendam duo Episcopi ad CLEMENTEM VIII. missi, Confirmationem ejus per Literas Apostolicas receperunt. CLEMENS itaque VIII. magni nominis, & in recipiendis ad gremium Ecclesiæ Catholicæ, Orientis & Septemtrionis Episcopis felicissimus Pontifex, effusissimo Corde Nationi Ruthenæ propensissimus, suis Charitate plenis Literis Annô 1595. Septimo Kalendas Martij, Pontificatûs quintô Annô, decrevit; ut ille, qui in Metropolitam Kijoviensem, à Rege Poloniæ nominatus fuerit, Electionis, & Nominationis suæ Confirmationem & Institutionem, seu provisionem, nec non Consecrationis licentiam à Romano Pontifice obtinere teneretur. Ipse verò Nominatos Episcopos, Suffraganeos Suos consecrare, vel per se vel per alios Catholicos tres Episcopos, de licentia Sua, (in quorum defectu unus Græci, & duo Latini Ritûs Episcopi possunt adhiberi) illosque confirmare, nomine Sedis Apostolicæ posset, & valeret.

II. Porrò Hierarchia Ecclesiæ Ruthenæ sub uno Metropolita continet Episcopos, qui juxta Sessionis locum in Synodo *Zamoscensi*, talem servant Ordinem: Vladimiriensis & Brestensis simul est primus post Metropolitam Episcopus, ideoque Prothotronij Nomen habet. Illum sequitur Luceoriensis simulque Ostrogiensis, qui est Exarcha Metropoliæ totius Russiæ, deinde Archiepiscopus Połocensis, simulque Vitebscensis, Msciſlaviensis, Orszanensis, & Mohyloviensis. Połocensem subsequitur Leopoliensis,

polienſis, ſimulquè Haliciensis & Camenecenſis in Podolia. Poſthunc Archiepiſcopus Smolenſcenſis & Severienſis, deinde Præmislienſis ſimulque Sanocenſis & Samborienſis, poſt hunc Chełmenſis, ſimulque Bełzenſis, deniq; Pinſcenſis, & Turovienſis. Hi ſunt Suffragenei Epiſcopi Metropolitæ totius Ruſſiœ, qui in ſuis Diæceſibus nunc habent Clerum, alium in Cælibatu viventem, eruditum, & exemplarem, alium uxoratum, in meliorem vivendi normam redactum.

III. Illuſtrat hanc Hierarchiam Antiquiſſimus æquè ac Sanctiſſimus Ordo Monaſticus Magni Doctoris, Epiſcopi & Legislatoris Baſilij, in Ruſſia unicus, Parens omnium ferè Epiſcoporum, Abbatum, & Virorum illuſtrium fæcundiſſima. Hypatio debet primam ſuam reformationem, ille enim unum Vilnenſe obtinens Monaſterium, in eo collectos juvenes Monachos erudiri curavit. Ejus Succeſſor Joſeph Velaminus pluribus Monaſteriis in unam Congregationem redactis, Unitorum ſub Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis nuncupavit, cujus approbationem ab URBANO VIII. obtinuit B. Joſaphat Połocenſis Archiepiſcopus Anno 1624. quem idem Urbanus Beatorum Martyrum Cathalogo adſcripſit Annô 1646. In Synodo deinde Zamoſciana ex mandato CLEMENTIS XI. præſidente Hieronymo Grimaldo Archiepiſcopo Edeſſæ, Nuntio Apoſtolico, deinde Cardinali, Leone Metropolita curante, reliqua Monaſteria, quæ ſeparata erant, in unam Congregationem redacta ſunt, approbante BENEDICTO XIII. Annô verò 1739. in Civitate Leopolienſi præſidente Archiepiſcopo Metropolitano, Athanaſio Szeptycki coactum eſt Capitulum Generale, celebratum in Eccleſia Suburbana Sancti Georgij Martyris, adſtante Protho-Archimandrita, in quo totus Ordo Baſilianus in binas Congregationes, Litvanam ſcilicet Sanctiſſiæ Trinitatis, &

Russiæ Protectionis Deiparæ Insignitam titulis, distinctus remansit. Deniquè in Capitulo Generali Dubnensi Annô 1743. eodem Athanasio Metropolita præsidente ex duabus præfatis Provinciis, unica Congregatio sub regimine unius Protho-Archimandritæ composita, & constabilita est, cum alternativa Electione Protho-Archimandritæ, Consultorum, & Officialium servanda, quam Ordinationem BENEDICTUS XIV. Annô 1744. adprobavit, plerisquè dubiis resolutis illustravit.

IV. Ad Jurisdictionem Protho-Archimandritæ spectant Abbates, Monasteria porrò Abbatialia sunt hæc: Monasterium Kijovopieczarense, cujus Ordinarius Abbas scribitur Metropolita, quamvis in aliena sit possessione Monasterium Onuphriense, Polocense Chlebo-Boryssense, Mielecense Suprasliense non incorporatum alicui Provinciæ, sed Jurisdictioni Metropolitanæ subjectum. Zydyczynense, Owrucense, Kobrynense, Dermanense simulquè Dubnense, Unioviense per Sigismundum I. Episcopatui Leopoliensi applicatum Annô 1539. Drohobuscense, Lauryszoviense, Lauroviense, Zołkieviense nuper fundatum ad Ecclesiam Parochialem Civitatensem, Bracłaviense, Grodnense, Pinscense, simulquè Leszczynense, Kanioviense, Trocense, sunt quoquè plura Monasteria Monialium Basilianarum ex Nobilibus Virginibus sub Instituto S. Basilij virtutis laude florentibus congregata. Hâc Hierarchiâ paucis commemoratâ ad Metropolitanos Archiepiscopos Kijovienses Primum progredior, in quorum statuenda Chronologia universi prorsus scriptores hallucinati sunt, quorum errorem & omissionem ex certis documentis illustrandum & emendandum pro viribus suscepi. A Kijoviensi Archiepiscopatu ad Haliciensem olim distinctum vindicandum pergo, ab eo ad Leopoliensem Episcopatum, cui Haliciensis est unitus, calamum moveo

Reliquos

Reliquos Epiſcopatus non omittam deſcribendos, ſi ab Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis Epiſcopis Certiora obtinuero monumenta, à quorum pleriſque Epiſtolas habui, in quibus commodiori tempore ſua documenta ex Archivis eruenda ſe tranſmiſſuros promiſerunt.

CAPUT II.

De Origine Ruſſiæ.

I. RUſſia undè Nomen habet, variæ ſunt Scriptorum opiniones, quidam enim Ruſſiam à Rhos Principe Japheti filio juxtà Ezechielem Cap. 38. & Cap. 39. appellatam opinantur. Et quamvis in Vulgata Editione nulla apud Ezechielem Rhoſi mentio habeatur, in Verſionibus tamen extat. Inter Beniamin filios ſeptimus legitur Ros, Gen. Cap. 46. v. 21. Sed ab hoc originem Rhoſſorum, qui deduceret, ipſe ab Hæbreis Ruſſos oriundos ſomniaret. Alij Ruſſum Fratrem Czechi & Lechi comminiſcuntur, atque ab his Lechorum, Czechorum, & Ruſſorum gentes deſcendiſſe arbitrantur, ſed Ruſſorum nomen multò antiquius eſt Lechis, & Czechis. Alij Ruſſos ſivè ab Oppido Ruſſo, ſivè à flumine Roſſa, appellatos autumant, ſed Conditores Urbium, non ab Urbibus, nec à fluminibus denominantur, ſed potius Urbes & flumina à ſuis Conditoribus nomen ſortiuntur. Deniquè ſunt illi; qui Ruſſiam à diſſeminatione, & diſperſione Roſſiam appellant, quod ipſum Nomen indicat, Roſſieia enim Ruſſico idiomate diſſeminationem ſignificat, quod Divinis quoque comprobatum eſt Literis; de filiis enim Nöèmi dicitur: *Tres iſti filii Noe, & ab his diſſeminatum eſt omne genus humanum ſuper univerſam terram.* Hinc eſt, quòd Græci Ruſſos Sporos, id eſt, diſperſos,

ſperſos, vocant, gens enim Ruſſica totam Sarmatiam Europæam, & Aſiaticæ partem occupavit, atque ab Oceano glaciali, ad Mediterraneum uſque Mare, & Sinum Adriaticum, nec non à Ponto Euxino ad Balticum uſque ſuas Colonias extenderat.

II. Ruſſia in Magnam, & parvam diviſa eſt, Magna Ruſſia, ſeu Roſſia, poſteà Moſchovia appellata eſt, quamvis enim Moſcheni populi à Moſoch Japheti filio, qui in Geneſi, & in Ezechiele memoratur, oriundi ſint, quos Plinius & Strabo expreſſit, fieri enim potuit, ut Moſchi populi, Colchis olim finitimi, in Ruſſiam magnam, migraverint, ibique flumini & Urbi Nomen dederint, nullo tamen antiquo teſtimonio conſtat, id Moſchorum nomen genti Ruſſiæ ante Annum 1300. hæſiſſe, quia non ita pridem hoc nomen uſurpare cæperunt, nec univerſim primum, ſed unus de multis populis ita dici cæptus eſt, ex eo ferè tempore quo Gediminus Magnus Dux Lithvaniæ Anno 1319. Wolhyniam, totamquè Ruſſiam occupavit, ac ſubjugavit Sibi, & Joannes Danielis Ducis filius compulſus eſt Sedem ſuam in Urbem Moſcuam transferre, & inde dicti ſunt Moſchi, ſeù Moſchovitæ, quorum tamen Monarcha, non Moſchoviæ, ſed Magnæ Roſſiæ titulo inſcribitur. Parva Ruſſia, quæ ſub dominio Regis Poloniæ eſt, in rubram, nigram, & albam diſtingvitur.

III. Ante octavum Sæculum ignota ſunt Ducum Ruſſiæ nomina, quæ ab aliis potius finguntur, quàm probantur. Roxanorum & Roxolanorum mentio quidem in Scriptoribus cum Græcis tum Latinis habetur, ſed Roxolanorum nomine Scythæ quoque intelliguntur. ut Strabo, qui Tiberio Jmperante res Geographicas ſcribebat. Lib. 2. Cap. 114: Habitant, inquit; ultra Boryſthenem ultimi notorum Scytharum Roxolani. De eo genere fuit Oxia-

fuit Oxiares, cujus filiam Roxanam Alexandro Magno nuptam idem ſtrabo Lib. 7. memorat. Refert quidem Nicephorus Gregoras lib. 7. cap. 5. quendam Principem Roſſiacum Conſtantini Magni Dapiferum fuiſſe, id tamen Cangius in Notis ut commentum reijcit. Minus etiam veri habet, quod ex Socrate Lib. 3. Cap. 21. aliqui memorant, Antipatrum Epiſcopum Rhoſſum, interfuiſſe Concilio Antiocheno, ut legitur in Epiſtola Synodica ad Jovianum Imperarorem, Rhoſſus enim, ſeu Rhoſſopolis erat Urbs ad Sinum Iſſicum in Confiniis Syriæ, & Ciliciæ poſita, ita enim legitur in Synodo VII. Act. 4. R*hoſſopoli Ciliciæ*, de quo Strabo lib. 16. Rhoſſus inter Iſſum, & Seleuciam poſita. Socrates itaque non de Epiſcopo Ruſſico, ſed de Epiſcopo Rhoſſopolis Urbis intelligendus venit. Multum etiam à vero aberravit Joannes Dlugoſſus, Latinis Longinus, Nominatus Archiepiſcopus Leopolienſis, cæteroquin egregius Rerum Polonicarum Scriptor, qui in Chronicis Suis pag. 25. hoc Commentum ſcriptis reliquit, quòd Odonacer Ruthenus Annô Chriſti 599. ſub S. Leone Magno in Italiam venit, Oreſten captum, & Auguſtum quum Româ fugâſſet, Victor quatuordecim annis tenuit, hunc Theodoricus Gothorum ad Aquileiam oppreſſit, & Ravennæ ad deditionem maceravit, necavit, & à Ruthenis ad Gothos Regnum Italiæ tranſtulit. Exſtat hujus facti memoria apud Volateranum Lib. 2. ubi non Odonacer, ſed Odoacer, non Ruthenus, ſed Italus appellatur, neſcio, quo caſu, pro Italo Ruthenum. poſuerit Longinus, cum nullus Scriptor Victorem illum Ruthenum ſomniaverit.

CAPUT III.

De Prima Conversione Russiæ ad Fidem Christi.

I. PRimam Conversionem Russorum S. Andreæ Apostolo plerique adscribunt, hunc enim Apostolum è scythia venisse in Russiam, & in Montibus Kijoviæ constitisse, gentique Russicæ benedixisse, ac proinde Kijoviam Urbem à Kijo Duce ante Christi natalem conditam, ex Synaxario, & Majorum suorum traditione Rutheni gloriantur, quod tamen ab eruditis viris inter somnia reijcitur, sed quùm Ecclesia Ruthena, quæ solemni & præcipuo Cultu celebrat S. Andream, memoriam ejus adventûs in Russiam in Officio Ecclesiastico faciat, credibile id dixerim, si tamen ante Urbem Kijoviam conditam, in illis Montibus apparuisse credatur, in quibus postmodum Kijovia fundata est; sed utrum S. Andreas aliquos ad Fidem converterit, ignotum planè est. Ad alteram Conversionem progrediens, ut tempus illius designem, primos Duces Russiæ referam.

Kijus itaquè primus Dux occurrit, cui duos Fratres Siecum, à quo Siekawice, & Chorevum, à quo Korewice, nunc Wyszogrod dictum, ac Lebeda Sororem, à qua Castrum Libice, tribuunt, hic à suo Nomine condidit Urbem Kijoviam Metropolim Russiæ, circa Annum 770. navali bello cum Græcis pugnâsse, constat ex Theophane, Græco Scriptore, qui ad Annum 774. Constantini Copronymi 33. hujus belli mentionem fecit. Hoc Annô, inquit: Mense Majo, Jndictione XII. Constantinus „Classem Chelandiorum bis millium in Bulgariam instru„xit ipse adversus Russorum Chelandia in Danubium „aditum sibi paraturus movit. Hoc verò navale bellum

Russorum

Russorum, sine suo Duce geri non potuit, igitur si Annô 774. Russi cum Græcis belligerabant, hôc Annô, non alium fuisse Ducem *Russorum*, nisi Kijum, oportet; quô Annô obierit, incertum est. Illi successerunt tres Fratres.

Oschaldus, Ascoltus, & Dyrus, qui navali bello Constantinopolim adorti, cum illam vallo cinxissent, Michäël Balbus Jmperator cum Patriarcha Photio ad Blachernense Deiparæ Templum venit, eductamquè ejusdem Deiparæ Sacram vestem, mari leviter intinxit, quo facto, fluctibus continuò excitatis, Russi fractis, quassatisquè navibus domum redire coacti sunt, ut testantur Græci Scriptores, Simeon Logotheta, Zonaras, Cedrenus, & alij, id contigisse Annô 859. sub Rurico Duce contendit Doctissimus Assemanus Tom. 4. Parte 1. Cap. 1. sed verius dixerim sub Oschaldo, testante id ex Annalibus Russorum Mathia Stricovio, Scriptore Litvano, Russis Conterraneo, Trucidatis Oschaldo, cæterisque Fratribus, Principatum obtinuit.

Olechus seù Alexander, hic cum elegantem equum vatibus præsentâsset, quidve de illo augurarentur, quæsivisset, mortem sibi ab eo equo causandam audivit, vaticinium hoc fatalis eventus probavit, quum enim Equus ille interiisset, ejusque ossibus insedisset Olechus cum illusione vatum, mox è capite equi venenosus prosiliens serpens, pedem ejus adeò lethaliter læsit, ut ex ejus morsu vitam amitteret. Altercantibus de Principatu Russis, svadente Gostomislio, viro prudente, vocati sunt tres Fratres.

Ruricus, Sineus, & Trubor, seù Truwor, Principes Varagi, genere Slavonico oriundi, horum primus Ducatum magni Novogrodi possedit, alter Album Lacum occupavit, ubi post biennium decessit, tertius Ducatum Plescoviensem, & Pskoviensem obtinuit, & uno duntaxat

taxat Anno ſupervixit: Pleſcoviæ alto tumulo tectus.

CAPUT IV.

De altera Ruſſiæ Halicienſis Converſione.

SCriptor Libri Slavonici, cui titulus: Synopſis, editi Kijoviæ 1680. refert SS. Cyrillum & Methodium à Michaële Jmperatore in Ruſſiam miſſum adpoſtulationem Svatopolci, Roſtislai, & Coceli Principum, ſed hæc relatio quam longè à vero aberret, indè patet; quod præfati Principes poſteriori ſæculo vixerint, & nondum viderint lucem, quando S Cyrillus Apoſtolatum geſſit. Rejectâ hâc in Commentum Relatione, paucis mihi enarrandum eſt de his, SS. Apoſtolis Slavonicarum gentium quorum Vitam Slavonicè impreſſam Kijoviæ Annô 1700. Latinitate donatam à me, edidi in opere meo de S. Clemente Papa Annó 1757 impreſſo. Conſtantinus & Methodius Fratres Patre Conſtantino nobili cive Theſſalonicenſi, Matre Maria nati ſunt. Conſtantinus natu minor ab ipſis Matris uberibus Sanctitatem prætulit, nutrici ablactandus traditus, non niſi propriæ Matris uberibus nutriri voluit. Adoleſcens cum Michäële Theophili Jmperatoris filio, Literis deditus, à Grammaticæ rudimentis exorſus, adeò in Rhetorica, Arithmetica, Aſtronomia, Philoſophia, Muſica, & in Græcis artibus excelluit, ut à cunctis Philoſophus appellaretur. Hæbreæ, Græcæ, Latinæ, Syriacæ Lingvæ peritiam adſequutus, Monaſticam vitam profeſſus, inſtitutus eſt S. Sophiæ Bibliothecarius, & Philoſophiæ Profeſſor, Miſſus à Michäële Jmperatore in Syriam, quam occupaverant tunc Tartari, in Urbe Samara, invenit Amurmuranam Principem, coram quo cum Saracenis longo tempore diſputans, poculum veneno infectum

fectum

fectum propinatum ſibi innoxium bibit, Rediens Conſtantinopolim, receſſit ad Montem Olympium, ubi Frater ejus Methodius abdicato militari honore, Monachum agebat. Iterum ambo mittuntur ad Chazaros, qui prope paludem Meotidem ab Hemero Iapheti filio originem ducentes, Hemeri, Cumeri, & à flumine Cymbro, Cymbri dicebantur. Ab Epiſcopo Cherſonenſi certiores facti de S. Clemente Martyre, & Pontifice, qui propè Cherſonam exilium olim paſſus, in Euxino Mari anchora alligata Collo, ſubmerſus fuerat, Poſt Solis occaſum navigantes, circa ipſam mediam noctem viderunt egreſſam ex mari lucem inſtar Solis orientis, mox in eodem ſplendore illuxit Caput hominis, & tandem Corpus emerſit radians, quod videntes Viri Sancti, nimio perfuſi gaudio, cum Summa reverentia acceperunt, & in navim aſportaverunt, & reverſi ſunt ad Civitatem, ubi cum ingenti populi lætitia, portantes illud ad Eccleſiam Apoſtolorum, ibi honorificè depoſuerunt. Acceptum deindè Sacrum Corpus ubique ſecum circumferebant; donec Romam perveniſſent. Cum eodem Corpore S. Clementis pervenerunt ad Kahanum Gazarorum, à quo Summa reverentia excepti fuêre; coram quo diſputans cum Judæis & Saracenis Conſtantinus, convertit Kahanum cum primoribus & multitudine gentis. Diſputationes autem Conſtantini Methodius connotavit, & in octo Diſcurſus prœdicabiles diviſit, quæ in M SS. Slavonicis latent. Relictis ibi probis Præsbyteris, cum reverterentur Conſtantinopolim, magnis muneribus ſibi oblatis recuſatis Chriſtianos captivos ducentos obtinuerunt pro labore, pergenteſ autem per nemora, & loca inaquoſa, cum ſitim paterentur, offenderunt lacum, ex quo aqua ſalſa adconficiendum ſal hauriebatur, aliis igitur diſperſis per deſertum propter aquæ fontem inveniendum,

Constantinus justit sibi adferri aquam Salsam, quam in dulcem mutavit, omnesque Socios itineris recreavit. Redeuntes Chersonam, quùm Constantinus cænaret cum Episcopo, post Cænam finitam dixit; Episcopo Georgio; ora Pater, & da benedictionem tuam mihi, sicut Pater solet benedicere filio benedictione extremâ; aliis verò secreto dixit: Episcopum crastina die moriturum, quod prædictum eventus probavit. Bulgariam quoque cum Rege, & tota gente converterunt ad Fidem, quorum auditâ famâ Comes Moraviæ rogavit Jmperatorem, ut illi mitteret eosdem Apostolos, Constantinus igitur imprimis invenit Alphabetum Slavonicum, & interprætatus est Evangelium S. Joannis, quod cum audiret coram se lectum Jmperator, cum Patriarcha, & toto Clero lætabatur nimis, & glorificabat Deum. Omnibus tandem necessariis provisi ab Jmperatore, iter cæperunt felicitèr in Moraviam, per Russiam Haliciensem cum Corpore S Clementis festinantes, ut allegatur apud P. Rutkam in Suo Tribunali, plerosque ex Russis convertisse credibile est, illo enim tractu directius iter nacti sunt in Moraviam; Rurico Principe Russiam gubernante.

CAPUT V.

De Episcopatu Constantini Philosophi.

METhodium fuisse consecratum ab Adriano II. Archiepiscopum Moraviæ constat ex Joannis VIII. Epistola 194. in qua Archiepiscopum appellat Methodium. De Constantini, seù Cyrilli Episcopatu dubitat doctissimus Assemanius, Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, & Canonicus, quia Tom: 3. parte 1. Cap. 2. pag. 115. Cyrillum Monachum & Præsbyterum tantum fuisse asserit,

rit, JOANNIS VIII. ductus silentio, qui Epistola 247. ad Svatoplugum Moraviæ Comitem, Constantinum Philosophum tantum appellat, sed si Assemanij valeret ratio, sequeretur ex allato Joannis Papæ testimonio, Constantinum nec Monachum nec Præsbyterum fuisse, sed tantum Philosophum, quod nec ipsemet Eruditus Assemanius admittere potest. Non ergo majoris est ponderis Silentium Joannis, loquentibus positivis, ut ajunt, argumentis Martyrologij Romani, Dubravij, antiqui Bohemiæ Scriptoris, aliorumquè omnium Scriptorum, qui Constantinum & Methodium, utrumque fratrem Episcopali dignitate insignitum testati sunt. Porrò in antiquissimo libro Slavonico, cui titulus: Sobornik; hæc habentur: Cum Adrianus Papa audisset, quòd Cyrillus secum portâsset Ossa S. Clementis Romani Pontificis, egressus est ei obviam, cum toto Clero, & recepit Libros Slavonicos, & benedixit illis, & posuit in Ecclesia S. Mariæ Pacis, ubi absolutô Sacrificio, jussit illos, scilicèt Constantinum & Methodium consecrari per Formosum & Gordium, qui quum essent consecrati, cantaverunt Missam Slavonicè in Basilica S. Apostoli Petri, & in crastinum cantaverunt in Basilica S. Pauli. In alia autem vita Slavonica superius laudata habetur; Quinquaginta diebus ægritudinem passus Cyrillus, Episcopatu deposito, Spiritum Deo reddidit. Standum igitur est potius commmuni Sententiæ Scriptorum, asserentium Sanctum Cyrillum fuisse Episcopum, quam Silentiô Joannis hanc tanto viro adimere dignitatem.

CAPUT VI.

De Inventore Literarum Slavonicarum.

DUplicem Alphabetum, Jlliricum, & Slavonicum distingvunt Scriptores, primi, Jnventorem faciunt

S. Hieronymum Dalmatam Doctorem Ecclesiæ, alterius, S. Cyrillum. Vidi ego in Bibliotheca Vaticana, Sixtino Clementina, utrumque Doctorem inter Inventores Literarum depictum in parietinis. Sub S. Hieronymo hæc leguntur: S. *Hieronymus Illiricarum Literarum Inventor.* Sub *S.* Cyrillo, qui in Pontificali Græco Ornatu depictus est, ad Cujus pedes anchora jacet, in signum inventi ab eo Corporis S. Clementis, anchorâ demersi, hæc leguntur: *S. Cyrillus aliarum Illiricarum Literarum Inventor.* Si hæc diversitas Alphabetorum admittitur, constat, S. Cyrillum Slavonici Alphabeti, non Jllirici Jnventorem fuisse. Testatur id luculentis verbis JOANNES VIII. in Epistola 247. Indictione XIII. Annô „880. ad Svatoplugum Moraviæ Comitem scripta. Li„teras quoquè, inquit Joannes, Slavonicas à Constantino „quondam Philosopho repertas, quibus Deo laudes de„bitæ resonent, jure laudamus, & in eadem lingva, Chri„sti Domini nostrì præconia, & opera, ut enarrentur, jubemus. Nullam hic mentionem facit Joannes Jlliricarum Literarum, nisi Slavonicarum, quarum repertorem seù Inventorem Solum asserit Constantinum.

CAPUT VII.

JOANNES VIII. Concessit usum Lingvæ Slavonicæ in Sacris adhibendum.

CUm magno labore didicissent lingvam Slavonicam Sancti Doctores, Constantinus & Methodius, ex Græco Idiomate interpretati sunt Slavonicè Sacram Scripturam, Liturgias, & omnia ad Cultum Dei spectantia Græca opera, & cum hoc idiomate primum

coram

coram Jmperatore Conſtantinopoli, deinde in Ruſſia, & in Moravia Sacra peregerunt, demùm Romam venientes coram Adriano II. cantaverunt Liturgiam, quem ritum laudavit quidem Pontifex, ſed Apoſtolicis Literis necdum confirmavit. Succeſſor tandem Adriani JOANNES VIII. laudata Epiſtola 247. Confirmavit his verbis: „Nequè enim tribus tantum, ſed omnibus lingvis Dominum laudare, Auctoritate Sacra monemur; quæ præcipit dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. Et Apoſtoli repleti Spiritu Sancto, locuti ſunt omnibus lingvis magnalia Dei. Hinc & Paulus, Cæleſtis quoque tuba intonat, monens: Omnis lingva confiteatur, quia D. N. JESUS Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. De quibus etiam Lingvis in prima ad Corinthios Epiſtola ſatis, & manifeſte nos ad monet, quatenus lingvis loquentes, Eccleſiam Dei ædificemus. Nec ſanè fidei vel doctrinæ aliquid obſtat, ſivè Miſſas in eadem Slavonica lingva canere, ſivè Sacrum Evangelium vel Lectiones Divinas novi, & veteris Teſtamenti benè translatas & interpretatas, legere, aut alia horum Officia omnia pſallere, quoniam qui fecit tres lingvas principales, Hæbraicam ſcilicèt, Græcam, & Latinam, ipſe creavit & alias omnes ad laudem, & gloriam Suam. Jubemus tamen, ut in omnibus Eccleſiis terræ veſtræ, propter majorem honorificentiam Evangelium Latinè legatur, & poſtmodum Slavonicâ lingvâ translatum, in auribus populi, Latina verba non intelligenti annuncietur. Et ſi tibi, & Judicibus tuis placet, Miſſas Latina lingva magis audire præcipimus, ut Latinè Miſſarum Tibi Solemnia celebrentur, hæc ille.

Sed mos ille celebrandi ritu Slavonico non diu duravit apud Moravos, & Bohemos; dat rationem Sta-

nislaus Hoſius Epiſcopus Varmienſis, & Cardinalis, Dialogo de Sacro vernaculè celebrando Tom. 1. pag. 644. quod plus adferre detrimenti, quam emolumenti viſus eſt, Sed non ea cauſa fuiſſe videtur, ſed quia à Romano Pontifice iis in locis non niſi Latinæ lingvæ homines ad Sacerdotium, & Epiſcopatum promoveri juſſi fuerint, & quia poſt extinctum Moravorum Regnum Duces Bohemiæ, ubi Latinam lingvam in Divinis Epiſcopi uſurpabant, Moraviam obtinentes, eundem illum morem in vexerunt. Undè cum Vratislaus Rex Bohemiæ peteret reſtitui ritum Slavonicum, Gregorius VII. Lib. 7. „Epiſtola 2. ita ei reſcripſit: Quia Nobilitas tua poſtula- „vit, quod ſecundùm Slavonicam lingvam apud vos Di- „vinum annueremus Celebrari Officium, ſcias nos huic „petitioni tuæ nunquam poſſe favere.

Quæ tamen Pontificis verba non aſſiciunt Ruſſos, quia Sedes Apoſtolica hunc Ritum ſæpius retineri præcepit, ut juxtà Privilegium JOANNIS VIII. literali Slavonicâ lingvâ in Divinis Rutheni uterentur. Quod JNNOCENTIUS IV. Annô 1248. in Epiſtola ad quendam Epiſcopum apud Raynaldum, CLEMENS VIII. URBANUS VIII. PAULUS V. JNNOCENTIUS X. BENEDICTUS XIII. qui Synodum Zamoſcianam Anno 1720. ab Epiſcopis Ruthenis celebratam in qua Slavonicæ lingvæ uſus in Divinis Celebrandis commendatur, confirmavit, ac denique BENEDICTUS XIV. Sua Conſtitutione 98. die 2. Maij Annô 1744. declaravit.

CAPUT VIII.

De Præſtantia Lingvæ Slavonicæ.

TRes Lingvas narrat Sacra Scriptura fuiſſe in Cruce Chriſti, Hæbream, Græcam, & Latinam, myſterium

um certè latuit in his tribus Lingvis, nam Hæbrea lingva est Sancta, Græca est lingva Sapientiæ, Latina est lingva Jmperij, his igitur tribus lingvis titulus Christi Crucifixi constabat, ut innueretur, Eum esse unum de Trinitate, ac per lingvas Verbum Æternum significari, per Hæbream Sanctum Sanctorum, per Græcam Patris æternam Sapientiam, per Latinam totius universi Jmperatorem credi debere, ac prædicari. Placuit etiam nobis mysteriosam imitari normam, & ad majorem gloriam tribus lingvis celebrati Nominis Christi Crucifixi, & ad publicam utilitatem. Equidem duæ lingvæ, Græca, & Latina, meræ sunt Crucis Christi notæ, pro tertia verò lingva Hæbrea, substituimus Slavonicam, Matrem certè multarum lingvarum. Accedit ad augmentum Splendoris lingvæ Slavonicæ, quód ipsissimam habeat pro origine gloriam, nam quod est Græcis, & Latinis gloria, hoc Slavis est *Sława*, indeque per nominis Etymum, ab hoc nomine & gens, & lingva Slavonica ortum suum gloriosissimum deduxit, ac gloriam Christi prædicat, quam Hæbrea nunc blasphemat.

CAPUT IX.

De Tertia Russiæ Conversione.

QUùm Sancti Fratres, Constantinus seù Cyrillus, & Methodius, in Moraviam è Russiæ partibus migrâssent, à Basilio Macedone Jmperatore Græcorum, post absolutam Synodum octavam Annô exeunte 870. Missus est in Russiam Archiepiscopus, ab Jgnatio Patriarcha ordinatus, is quùm venisset in Russiam, in Conventum Procerum à Principe Rurico vocatus & miracula Salvatoris exponeret, illi subdiderunt, nisi vide-

rent ſimile miraculum, quale in tribus pueris in camino ignis illæſis, factum audiverant, non credituros ejus verbis, petieruntque Librum Evangeliorum in rogum injici ab eis accenſum, ut ſi quidem librum nihil flamma læſiſſet, ad Deum acceſſuros, qui ab illo prædicabatur; quibus ſic dictis, ac Sacerdote oculos, ac manus ad Deum levante, ac dicente: Clarifica Nomen Sanctum tuum JESU Chriſte DEUS noſter, etiamnum in oculis gentis hujus univerſæ, Sancti Evangelij liber in rogum ignis conjectus eſt, nec paucis decurſis horis, ac rogô exinde extinctô, inventum eſt Sacrum Volumen illæſum, nec edacis flammæ vi ulla violatum, quô viſô, ac miraculi magnitudine inſtuporem acti, omni ſublatâ hæſitatione, Baptiſmo intingi cæperunt, ita refert Conſtantinus Porphyrogenitus in Baſilij avi ſui vita Num. 96. hæc ſub Rurico Principe contigiſſe certum eſt, qui an hôc miraculô Fidem ſuſceperit, non conſtat. Rurico Succeſſit.

Ihorus, qui Uxorem duxit Olcham, Nepotem Goſtomislij Ducis Pſkovienſis, deindè ingenti claſſe comparatâ Græcas Urbes ingreſſus, cunctas vaſtabat, Conſtantinopolim demùm obſidens, à Romano Græcorum Imperatore victus, vix aliquam ſuorum partem Kijoviam ſalvam reduxit, ut teſtatur Luitprandus Lib. 5. Cap. 6. qui Igorum vocat Ruſſorum Regem. Zonaras quoquè tradit Ruſſos quindecim millia Navium habentes, repulſam paſſos eſſe. Hoc factum Annô 941. teſtante eodem Luitprando. Cedreno, Zonara. Cum autem injuſta tributa à Drewlanis, exigerent, à Duce illorum Niſkinia percuſſus, occiſus eſt.

CAPUT X.

De Quarta Ruſſiæ Converſione.

OLcha Duciſſa defunćto Ihoro vidua relicta, cum unico filio

filio Swiatoslao, necem mariti ingeniosis artibus de Drewlanis sæpius ulta, Constantinopolim ad Constantinum Porphyrogenitum, non ad Joannem Zemisce, ut Cromerus, & alij mendosè scripsêre, venit. Christianis legibus instructa, baptizata est Nomine Helenæ, Annô 955. reversa Kijoviam, magnam Russorum partem Christo acquisivit, primaque Christiana ex Principibus, & Apostola gentis suæ facta est. Filium tamen Suum ad amplectendam Fidem inducere non potuit. Obiit Sanctitate Clara, cujus Corpus honorificè Kijoviæ sepultum, à Vladimiro ejus Nepote sublevatum est, colitur à Russis die XI. Julij. Helenæ successit.

Swiatoslaus, hic ex justa Uxore duos filios habuit, Jaropolcum, & Olechum seù Alexandrum, tertium verò Vladimirum ex concubina, nomine Maluska, filia cujusdam Civis Novogrodensis, nuncupati Kalufcza, quæ in gynæcæo Helenæ erat, susceperat. Jaropolco Ducatum Kijoviensem, Alexandro Ducatum Pereaslaviensem; Vladimiro magnam Novogardiam divisit. Joannes Zemisces Jmperator Græcorum per Legatum Suum vocaverat Swiatoslaum, ut adversus Bulgaros pugnaret, venit ille, sed captam Bulgariam cum Sibi retinuisset, armaque insuper adversùs Græcos movisset, factum est, ut ex amico inimicus factus, à Græcis profligatus fuerit, coactusque pacem petere, tutumque reditum implorare. Cum rediret Kijoviam, in loco nimis periculoso, à Duce Piecingarum, cognomento Kures, natione Litvano, Capite plexus est, ejus cranium capitis auro tectum pro scypho adhibuit Kures, his in eo sculptis verbis: *Alienum quærendo, proprium amisit.* Obiit Annô ab Orbe condito juxtà Calculum Græcorum 6480. Christi 972. Hinc emendandus est Herbeistenius, qui Græcos à Swiatoslao victos & spoliatos scribit, sub Basilio & Constantino Jmperatori-

 peratori-

peratoribus, cum hi Jmparatores post Joannis Zemiſces obitum Annô 976. imperare cæperunt, ut conſtat ex Græcis Scriptoribus Synchronis. Swiatoslao ſucceſſit Jaropołcus.

Jaropołcus Swiatoslai primogenitus, Olgo, ſeu Alexandro fratri ſuo bellum intulit, incitante Svevoldo, qui principem honoris locum apud Jaropołcum obtinebat, cujus filium Alexander interfecerat, & immanitèr peremerat, nec multò poſt ipſe quoque Jaropołcus à Vladimiro per ſpeciem colloquij evocatus, ſimilem exitum habuit.

CAPUT XI.

De Quinta univerſali Ruſſiæ Converſione.

VLadimirus omni Paterno Principatu potitus, tùm primum unum Corpuſ Ruſſiæ unius Ducis animo, & omnium manibus defendi cæptum, in molem ingentem, & robur adolevit. Finitimos Bulgaros, Croatas, cæteraſque cognatas barbaras gentes ſubegit, ac tributarias ſibi fecit. Cherſonam, nec non ſeptuaginta Caſtella ad littus Iſtri poſita Græcis, Præmisliam, & alia oppida Miecislao Poloniæ Duci jure Victoriæ ademit. Jamque Orientem ferrô cogitantem penetrare, Jmperium Græcum timuit, Baſilius & Conſtantinus Jmperatores, auguſtâ affinitate deſtinatâ, Sororem Suam Annam, filiam Joannis Zemiſce Jmperatoris in matrimonium obtulerunt, paulo fermè tempore, quo Polonis lumen Orthodoxæ fidei per Dąbrowkam Miecislai Conſortem, à partibus Occidentis affulſit, Ruſſis quoque ſavor Divinæ gratiæ ſtudio Annæ Vladimiri Magni Conjugis ab ortu illuxit, Deo ita ordinante, ut à mulieribus & nox im-

pietatis,

pietatis, & dies Evangelicæ veritatis, exordia ſumerent. Cherſonam ducta Anna, mox Cæcum factum Vladimirum, ut Cromerus, Miechovita, cæterique Poloni Scriptores memoriæ prodidèrunt, invenit, qui ſuſceptâ Fide viſui reſtitutus, ſcribitur à Długoſſio. Itaque Annô 988. Sacrô lavacrô tinctus à Michaële Metropolitano Catholico, quem Cherſonam miſerat Nicolaus Chryſoberges Patriarcha Conſtantinopolitanus, baptizati ſunt quoque ejus ſimul filij, & tota familia, Nomen Baſilij impoſitum illi eſt. Kijoviam rediens ſecum attulit aliquas particulas Oſſium S. Clementis Papæ, & Martyris, qui in Euxino mari propè Cherſonam ſubmerſus, per SS. Cyrillum, & Methodium inventus erat, ut refert Stryikovius. Anna verò à fratribus Auguſtis in dotem inſignem particulam Vivifici Ligni S. Crucis, quæ nunc Lublini apud Prædicatores adſervatur, binaſque Icones Deiparæ, quas à S. Luca pictas tradunt, quarum una per Ladislaum Ducem Opolienſem in Claromonte collocata, à Clemente XI. Coronata Annô 1717. Altera per Leonem Ducem Ruſſiæ Haliciâ Leopolim delata; nuper à Benedicto XIV. apud Prædicatores Coronata veneratur, Kijoviam ſecum detulit. Hinc falſi convincitur narratio illa, quæ ab Herbeſteinio ex Synaxario, & Annalibus Ruſſorum ſparſa eſt de Legatis à Vladimiro ad varias gentes miſſis, ut ſingularum nationum ritus explorarent, inter quos Græcum ritum præ cæteris placuiſſe Vladimiro, tum quia, ut advertit Doctiſſimus Aſſemanus, nequè Cedrenus, neque alij antiqui Scriptores Græci mentionem talis narrationis faciunt, feciſſent autem in gratiam Suæ gentis, ſi verè contigiſſet, tum quia de Græca Religione, rituque jam anteà edocti fuerant per SS. Cyrillum & Methodium, & poſt illos pèr Epiſcopum à Baſilio Macedone in Ruſſiam miſſum, & Vladimirus ipſe

eam Religionem ignorare non poterat, ſi vera ſunt, quæ de eo tradit in appendice pag. 110. Ignatius Kulcinius in hæc verba: Ab avia ſua beata Olga imbutus Sacris Fidei myſteriis, jam ferè à puero cupiebat eam amplecti. Octavo poſt ſuſceptum Baptiſmum Annô, ſcilicèt 996. Vladimirus Ruſſos baptizari curavit, idola ſubmerſit in Boryſthene, Templa ædificavit, inter quæ primum magnificentius in honorem Deiparæ erexit, ſub titulo Patrocinij, totam gentem converſam protectioni ejus committens, ab eoque Feſtum Protectionis Deiparæ die 1. 8bris inſtitutum, quùm de eo nulla in Menologiis Græcorum mentio habeatur. Conſtitutionem edidit, cujus meminit Herbeſteinius, illamque refert Kulcinius integram, in ſpecimine ſuo, quâ Decimas, Jura, & privilegia Eccleſiaſticis debita, à ſuis Succeſſoribus ſolvenda, & ſervanda imperavit; Magni Nomen promeruit, ob ingentem Fidei propagationem. Sed antequam factus eſſet Chriſtianus à Ditmaro Epiſcopo Morſepurgenſi arguitur de crudelitate, & nimia laſcivia, octingentas enim concubinas ſervaſſe perhibetur, præter quinquè Uxores juſtas, quarum prima fuit Rochmida, Duciſſa Pſkovienſis, ex qua filios ſuſcepit quatuor, Jſaſlaum, Mſcislaum, Jaroslaum, Wſewoldum, & duas filias juxtà Stricovium. Altera Græca vidua relicta, Jaropolci fratris Uxor, ex qua prodiit Svatopolcus, occiſor duorum Fratrum Davidis, & Romani, Tertia Bohema, ex qua prodiit Wiſeslaus, Quarta quoque Bohema, quæ genuit Swiatoslaum, & Stanislaum. Quinta Bulgara, ex qua prodierunt Chleb & Borys, David, & Romanus in baptiſmo nuncupati. Suſceptô denique baptiſmô, duxit Sextam Uxorem, Annam Auguſtiſſimam Virginem Græcam quæ genuit filiam Mariam, Caſimirò primo Regi Poloniæ deſponſatam, Matrem Boleslai Audacis, occiſoris S. Stanislai Epiſcopi

Craco-

Cracovienſis. Hinc non concordant Scriptores in enumerandis filiis Vladimiri, tres habuiſſe filios Ditmarus, novem Miechovius, præter duas filias, quarum unam Prædislavam vocat, duodecim recenſet Cromerus, ſcilicèt; Wiſeslaum, Iſaslaum, Stopołcum, Jaroslaum, Boryſſum, Chlebum, ſeù Davidem, & Romanum, Stoslaum, Wſevoldum, Miecislaum, Stanislaum, Sudislaum, Poſwidum, quibus diſtribuit ditiones ſuas, Wiſeslao Novogrodum, Iſaslao Połockum, Svatopołco Turoviam, Iaroslao poſt obitum Wiſeslai Novogrodum, Boryſſo Roſtovum, Chlebo Muramum, Svatoslao Dereva, Wſewoldo Vladimiriam, Mſcislao Torocanum, Stanislao Smolenſcum, Sudislao Pleſcoviam, Poſwido Wołhyniam, Urbem Vladimiriam à ſuo nomine condidit, & in ea Jmperij ſedem collocavit, Rebus ſuis diſpoſitis, ac præclarè omnibus geſtis, Sacramentis munitus, ante Uxorem ſuam migravit è vita Bereſtoviæ diè 15. Julij. Sed quo anno, diſcrepant Scriptores, Hofmannus enim in Lexico Univerſali verbo Ruricus, Vladimirum ait ab Anno 976. ad Annum 1005. Regnum Ruſſiæ tenuiſſe. Herbeſteinius verò mortem ejus ad Annum 1015. conſignat, quarto anno poſt obitum Annæ Uxoris. Cedrenus vero pag. 718. Vladimirum. quem Bladimerum appellat, ante Annam Uxorem obiiſſe ſcribit, Annô 1022. Annam verò Annô 1025. ita enim pag. 719. ait: *Mortuâ Annâ Jmperatoris Sorore in Ruſſia, defunctô jam ante Bladimerô maritô.* Cedreno igitur Grœco Scriptori major fides eſt adhibenda, quam recentioribus. Sepultus eſt Kijoviæ in Templo Deiparæ, in marmoreo Tumulo conditus, quem Rutheni, uti Sanctum die 15. Julij magno Officio celebrant.

 CAPUT

CAPUT XII.

De Sede Kijoviensi Metropolitana.

I. TOtius Russiæ Caput, & Metropolis olim fuit Kijovia, à Russorum Principe Kijo ad Borysthenis fluvij ripam occiduam in loco feraci, & amænissimo condita sæculo octavo. In hac Urbe florentissima Vladimirus Magnus Monarcha Russiæ, Christianus factus, fundavit sedem Archiepiscopalem Metropolitanàm, in qua collocari curavit Michàëlem primum, hic verò quamvis titulo Metropolitæ exornatus essèt, diu tamen aliis Sedibus Episcopalibus Suffraganeis caruit, quæ ejus jurisdictioni subessent, quod compertum habeo ex Nicetæ Choniatis testimonio, quod exstat lib. 5. Thesauri Fidei Cap. 5. ubi de Concilio primo Nicæno lo„quens hæc habet: Provinciarum enim aliæ unitantum „parebant, ut Scythia, & Russia, usque in hodiernum diem. Post Nicetæ itaque tempora crevit in Russia Episcoporum numerus.

II. Kijovia itaque perpetua Sedes erat Metropolitæ, à Michàële primo usque ad Maximum, hic enim quùm Litvani Russiam devastâssent, ac Kijoviam subegissent, relictâ *Kijoviâ*, sedem transtulit Vladimiriam, cujus Successor Petrus ob eandem causam relictâ Vladimiriâ, cum aula simul Joannis Daniełowicz Magni Ducis migravit in Urbem Moskuam, in qua cùm Ducis, tùm Metropolitæ sedes fixa est, diuque mansit.

III. Cum Kijovia ea ætate Lituanorum Ducis ditionis esset, qui Romanæ Ecclesiæ ritus, & doctrinam impensè colebat, adeoque Florentinæ Unionis Decretum à suis ad mitti nitebatur, hinc factum est, ut Constantinopolitani

Patriar-

Patriarchæ Schiſmatis tenaces, pro Kijovienſi Metropolitam alterum apud Moſchovitas conſtituerint, qui Moſcuæ, quœ Magni Ducis Sedes erat, una quoque ſederet. Roſt Cyprianum igitur Catholicum, cum ejectus eſſet Photius, uniti Epiſcopi elegerunt Gregorium Bulgarum, diſuniti verò quendam Michaëlem, uſque ad Jobum, vigeſimum tertium Metropolitam Moschenſem.

IV. Sæculo itaque labente decimo ſexto Hieremias II. Patriarcha Conſtantinopolitanus in Moſchoviam profectus, à Monachis conventus eſt, obnixè rogantibus, ut toti genti præficeretur Archiepiſcopus, qui ſui juris eſſet, nulli ſuperiori alteri ſubjectus, ille annuit. Diploma Slavonico Sermone exaratum, quo novus Archiepiſcopus, Patriarchæ inſtar conſtituebatur, demum in Urbe Moſcua congregata Synodo coram Theodoro Duce, ejuſque Conjuge, Jobum Archiepiſcopum Roſtovienſem, primum Moſchoviæ Patriarcham renunciavit die 26. Januarij, Annô 1589. quæ omnia deſcripſit Chryſanthus Patriarcha Hieroſolymitanus Libro de Sacris Officiis Tergoviti in Valachia Græca dictione vulgato Annô 1715. Hieremias regreſſus Conſtantinopolim, convocatâ Synodo Jobum, uti Patriarcham cum omnibus prærogativis confirmavit; ea conditione: ut Patriarcha Moſchoviæ inauguratus, à Conſtantinopolitano confirmari poſtularet, utque eidem quingentos aureos ſolveret. P. Bernardus Ribera Hiſpanus Ordinis Prædicatorum, Excellmi Ducis de Liria Legati in Moſchoviam Theologus & Miſſionarius Apoſtolicus in Appendice Tomi II. exhibet Patriarchas Moſchoviæ ſequentes.

PATRIARCHÆ MOSCHOVIÆ.

JOB I.

JGNATIUS II. cum Demetrio fictó occiſus.

NICON VI. poſt 15. Annos depoſitus ac in Monaſterium intruſus, in Catholica

PHILA-

PHILARETUS III. anteà Theodorus Romanow, pater Ducis Micháëlis
JOASAPH IV.
JOSEPH V.
fide pœnitens obiit.
JOSAPHAT VII.
PITIRON VIII.
JOAKIM IX.
ADRIANUS ultimus ſedit Annis 13. Succeſſorem non habens.

V. Suppreſſum enim in totum fuit Patriarchatûs nomen à Petro Magno Alexiewicz ſtatim ab obitu Adriani decimi Patriarchæ, qui Annô 1703. contigit, Petrus namque ſtatuit, ut Eccleſiaſtica quæcunque negotia apud Synodum perpetuam, undecim viris conſtantem tractarentur, cui Metropolita unus præeſſet, quem Princeps deſignaret, itemque vice-præſides duo cum Conſiliariis quatuor. Diploma Petri quô Synodum illam ad Imperij Sui Eccleſiam adminiſtrandam inſtituit, exhibet ex Slavonico Latinè translatum Doctiſſimus noſter Micháël Le-Quien in Oriente Chriſtiano Tomo 1. pag. 1296.

VI. Cum Palatinatus Kijovienſis cum aliis nunc avulſus ſit à Dominio Reipublicæ Polonæ, factum eſt; ut diſunito Metropolitâ reſidente Kijoviæ, verus Kijovienſis Metropolita unitus in minori Ruſſia fixam Sedem non habeat, ſed in annexo Epiſcopatu per Sedis Apoſtolicæ diſpenſaticnem maneat. Chronologiam Metropolitarum unitorum exhibuerunt, Herbeſteinius, Papebrochius, Quienus, Ribera, Kulcinius, & alij, ſed ut ingenuè fatear, nullus accuratam eorum exhibuit Chronotaxim, Quos ego illuſtrandos certioribus documentis ſuſcepi.

SÆCULO X.

I. MICHAEL I.

Annô Mundi Chriſti 988.
Juxtà Calculum Græcorum. 6496.

NAtione Syrus, ex Syria Conſtantinopolim venit, à

Nicolao

Nicolao Chryſoberge Patriarcha Catholico ordinatus, miſſus Cherſonam, Annam Auguſtorum Sororem Vladimiro Magno ſponſandam comitatus, Vladimirum cumfiliis baptizavit, Annô 988. octennio poſt, totam gentem Ruſſorum, ſubmerſis in Boryſthene idolis, Sacro fonte initiavit, quem Vladimirus in ſua Conſtitutione ita laudavit: Suſceptâ Sanctâ Fide Chriſti, obtinui ex Urbe Con„ſtantinopoli primum Metropolitam Kijovienſem Mi„cháëlem, qui baptizavit totam Ruſſiam. Hinc imprimis falſi convincitur Coſſovius, qui Micháëlem à Sergio Photiani Schiſmatis aſſecla Annô 1000. miſſum fuiſſe contendit. Deinde hallucinantur quoque illi qui tradunt Vladimirum non à Micháële, ſed à S. Bonifacio Archiepiſcopo Latino Baptiſmum ſuſcepiſſe, Auctoritate Romani Martyrologij ad diem 19. Junij, & S. Petri Damiani malè intellectâ, Librarij enim erratum eſt, qui Ruſſiam, pro Pruſſia, & Regem Ruthenorum, pro Pruthenorum, aut Boruſſorum apud Petrum Damianum poſuit, ex quo iſta à Baronio tranſumpta ſunt. Si enim à Latino Epiſcopo Vladimirus cum ſua gente Sacris initiaretur, Ritum utique Latinum, non Græcum amplecteretur. De Micháëlis Sanctitate, hæc refert Kulcinius! Cum populus à Præsbyteris baptizaretur in flumine, puer quidam è manibus Matris excidens, ſubmerſus fuerat, quem extractum in ripam, cum parens deploraret, precibus Micháëlis Metropolitæ ſuſcitatum perhibet. Magnos labores in plantanda nova vinea Chriſti ſuſtinuit. Obiit plenus meritorum, & Corpus ejus hucuſque incorruptum in Cryptis Kijoviæ requieſcit. Quot Annis ſederit, non concordant Scriptores, duobus duntaxat Annis Bernardus Ribera, quatuor Annis Micháël Quienus, Sexaginta Annis Kulcinius tradiderunt. Verius tamen dici poteſt, undecim ſaltem annis præfuiſſe Kijovienſi

Cathedræ, quod inde convincitur, quia ut testatur Vladimirus, Micháël totam Russiam baptizavit, baptismus autem totius Russiæ contigit toto octennio post susceptum baptismum à Vladimiro, ut doctissimus *Assemanus demonstrat, cum ergo Vladimirus Annô 988. sit baptizatus, Russia baptizata est Annô 996. tantæ autem multitudinis populus unô Annô vix Sacro fonte ablui potuit, undecimo igitur Annô Pastoralis Suæ Curæ obijsse Micháëlem constat.

II. LEONTIUS.

Mundi 6507. Annô Christi 999.

Gente Græcus, quem Herbeistenius Leonem vocat, successit Micháëli, decrevit, ut Sedes Metropolitana Kijoviæ, & non alibi maneret stabilita. Ipso sedente Vladimirus Magnus obiit, cujus Corpus Leontius in marmoreo condidisse Mausoleo fertur. Si hoc verum est, quomodo *Quieni* ex Herbesteinio subsistet Chronologia? Leontio namque sexdecim Sessionis Annos assignat, Vladimirum verò ad Annum 1022. vixisse superius ostendi, quomodo ergo tumulare poterat Vladimirum Annô 1015. cum ipsemet Leontius priùs diem extremum obierit? Longior igitur debet esse Leontij Sessio, ad Annum 1023. Annis viginti quatuor diuturna.

SÆCULO XI.

III. THEOPEMPTUS

Mundi 6531. Annô Christi 1023.

E Græcia oriundus, ille est, qui Dosithæo Hierosolymitano in amplissimo de Hierosolymorum Patriarchis opere Lib. 2. Cap. 2. §. 4. è Sabastiensi ad Kijoviensem

Ecclesiam

Ecclesiam gubernandam translatus scribitur, & Theophilactus appellatur. Duo insignia Templa in Urbe Kijovia unum Divæ Sophiæ Sacrum, alterum Annunciationis B. Virginis à Jaroslao Duce erectum, Solemni ritu consecrâsse perhibetur. Ab Alexio Patriarcha Catholico consecratus fuit, nondum Cerularij Schismate renovato. Hoc tempore Svatopolcus Vladimiri filius duos fratres Chlebum & Boryssum, seù Romanum & Davidem interemit, quorum Corpora Deus miraculis illustravit, & innocentiam illorum vindicavit, quia Svatopolcum profugum, terra vivum absorbuit, post cujus interitum Jaroslaus quietè regnavit, suumquè dominium amplius illustravit, datâ filiâ Suâ Annâ in Conjugem Henrico primo Galliarum Regi. Sedit hic Præsul Annis novem.

IV. HILARION.

Mundi 6539. Annô Christi 1031.

Ruthenus Monachus, austeritate vitœ celebris, qui in Crypta, quam primus propriis manibus sibi effodit, diu latebat, cujus exemplo ducti Antonius & Theodosius. S. Theodori Studitæ asseclæ, profundiores Catacumbas eruerunt, in quibus eorum Corpora cum aliis benè multis, incorrupta hucusque venerantur, illi enim omnes in Sancta Unione vixerunt, & Sancta morte defuncti sunt. Jnauguratus in Metropolitam Russiæ, & consecratus est Hilarion ab Alexio Patriarcha Catholico, non à Michaële Cerulario, Photiani Schismatis instauratore, Hinc refellenda est Scriptorum Ruthenorum traditio, quòd cum pervenisset fama in Russiam, renovati Schismatis per Cerularium, Prælati Rutheni non miserunt pro impetranda Bulla Constantinopolim, sed convenientes Kijoviam in

Templo S. Sophiæ Hilarionem elegerunt, & consecraverunt Annô 1051. Jmprimis enim falsi convincitur hæc traditio, quæ Annô 1051. Consecratum refert Hilarionem, Jaroslaus enim Princeps inivit consilium cum Hilarione Metropolita, ut Nomocanonem, id est, librum pænitentialem, quô pænam Canonibus præscriptam publicaret, ita enim in Constitutione sua loquitur: Ecce Ego Ma„gnus Dux Jaroslaus, filius Vladimiri, juxtà præceptum „Patris mei, initô consiliô cum Metropolita Hilarione, „transcripsimus Græcum Nomocanonem &c. Verum quum, uti testantur Cedrenus pag. 739. & Scylites pag. 102. Jaroslaus Annô Mundi 6544. Christi 1036. decesserit, Hilarionis electio & Consecratio Annô 1051. fieri non potuit. Deindè hæc Electio peracta est, antequam Cerularius, qui Photianum Schisma apud Græcos instauravit, die 25. Martij Annô 1043. post Alexij obitum Bysantinus Patriarcha inauguratus est, in festo S. Michaëlis, quod Græci die 8. Junij celebrant, teste Cedreno pag. 758. Annô verò 1059. depositus fuit, vitamque cum morte commutavit, substituto in ejus locum Constantino Lichude, ut testatur Scylites pag, 808. Electio igitur Hilarionis, quæ facta est Annó 1031. inaugurationem Cerularij præcessit. Hilarioni Sessionis Annos viginti assignat Michaël Quienus, sed quùm certum sit, Hilarionem interfuisse Synodo Constantinopolitanæ, quæ Annô Mundi 6575. Christi 1067. Celebrata est Joanne Xiphilino Patriarchâ, sponsalium causâ, sequitur, Hilarionem, ab Annô 1031. inaugurationis Suæ pervenisse ad Annum 1068. adeoque triginta Septem Annis in Præsulatu vixisse.

V. GEORGI-

V. GEORGIUS I.
Mundi 6576. Annô Chriſti 1068.

Græcus Kijoviam miſſus cum Micháële Monacho, è Studitarum Monaſterio, à quo Theodoſius percepit normam vivendi, quam Pieczarenſes Monachi profitebantur, Georgio ſvadente, Demetrius Dux Haliciæ, Præmisliæ, & Wołhyniæ, filium ſuum ablegavit ad Gregorium Papam VII. Ducatum ſuum enixè commendans Protectioni S. Petri, cui etiam juramentum fidelitatis fecit, cui reſcribens Pontifex, adprecatur ei patrocinium S. Petri, Boleslaum quoque Ducem Poloniæ admonuit ut avulſa ei reſtitueret, pacemque cum eo ſervaret, ut videre eſt Lib. 2. Epiſt: 74. apud Baronium ad Annum 1075. ex quo conſtat, Ruſſiam à principio Suæ Converſionis Catholicam fuiſſe, Hic Georgius Vladimiri Magni filios Romanum, & Davidem Sanctorum Martyrum Cathalogo adſcripſit, eorum Corpora in Urbem Wyſzogrodenſem tranſtulit ſolemnitèr, aſſiſtentibus Jſaslao, Svatoslao, & Wſewoldo Principibus, Petro Pereaſlavienſi, Micháële Jurienſi Epiſcopis, Theodoſio Hegumeno Pieczarenſi, Sedit Annis quatuor.

VI. JOANNES I.
Mundi 6580. Annô Chriſti 1072.

E Ruſſia oriundus, Succeſſit Georgio, Sapientiâ, liberalitate in pauperes & viduas conſpicuus. Templum Kijoviæ ad Catacumbas, Solemni ritu, aſſiſtentibus Luca Białogrodenſi, Jſaia Roſtovienſi, & Joanne Czerniechovienſi Epiſcopis conſecrâſſe perhibetur, Sedit Annis ſex.

VII. JOANNES II,
Mundi 6586. Annô Chriſti 1078.

Græcus genere, ab Alexio Jmperatore Catholico inauguratus, Sanctæ Unionis laude clarus, nihil calamo dignum reliquit, quùm unô duntaxat Annô, ea in dignitate vixiſſet.

VIII. EPHREM
Mundi 6588. Annô Chriſti 1080.

Græcus, Succeſſit Joanni, quem Sanctæ Unionis cum Romana Eccleſia tenacem fuiſſe comprobatur ex eo; quod Feſtum Translationis S. Nicolai Archiepiſcopi Myrhenſis Metropolitæ Liciæ, & Thaumaturgi, acceptaverit, & in tota Ruſſia celebrandum præceperit, Corpus S, Nicolai Victore III. Sedente tranſlatum eſt Barium in Apulia; Cujus Succeſſor Urbanus II. hoc Feſtum inſtituit, pro facta Unione Græcorum cum Romana Eccleſia, Urbanus enim convocâtis Græcìs Barium, Celebravit Synodum in ſua præſidentia, ubi diſputante cum Græcis S. Anſelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi, de Proceſſione Spiritûs Sancti, Græci Fidem Orthodoxam profeſſi ſunt. In ſignum igitur Unionis Ephrem Metropolita Feſtum Translationis S. Nicolai die nona Maij celebrandum in Ruſſia ſuſcepit, quod deindè Synodus Zamoſciana de præcepto colendum ſtatuit. Sedit Annis 16. poſt quem Sedes vacavit Annô unô.

IX. NICOLAUS
Mundi 6606. Annò Chriſti 1098.

Græcus, ab Alexio Comneno Jmperatore, ob integritatem

gritatem

gritatem Fidei Catholicæ ad Metropolitanam Sedem promotus, cui præfuit Annis duobus.

SÆCULO XII.

X. NICEPHORUS I.

Mundi 6609. Annô Christi 1101.

Græcus, inauguratus Metropolita, Vladimirum Monomachum Wsewoldovium unà cum Metropolita Ephesino Regio diademmate Coronavit, Joannes onim Comnenus Jmperator per Ephesinum, Legatum misit Vladimiro Coronam Regiam, quâ Kijoviæ à prædictis Metropolitis Coronatus est in Monarcham Russiæ, Russiamque in plures Principatus divisam, iterùm solus rexit, donec post ejus decessum inter filios partiretur Sedit Nicephorus Annis Septemdecim, Sedes vacabat Annis duobus.

XI. NICETAS

Mundi 6629. Annô Christ 1121.

Græcus, missus à Joanne Calo Jmperatore, filio Alexij Comneni Sedit Annis duobus.

XII. MICHAEL II.

Mundi 6632. Annò Christi 1124.

Græcus, Successit Nicetæ, Vir pietate, & doctrinâ insignis, Constantinopoli pro more ordinatus, Synodo adfuit, quæ Annô 1155. Luca Chrysoberge Patriarcha, Soterichi Panteugeni causâ celebrata est. Adversùs So-

terichum pluribus argumentis oſtendit, non ſolùm Patri à Chriſto oblatum eſſe in Cruce Sacrificium, nec illi ſoli ſemèl in Euchariſtia offerre, ſed ſibi quoque uti DEO, & Spiritui Sancto. Quibus auditis, qui à Soterichio ſteterant, Epheſinuſque præſertim Metropolita, mutatâ ſententiâ rectæ doctrinæ ſubſcripſerunt. Ut teſtatur Leo Allatius in Vindiciis Synodi Epheſinæ pag, 585. Kijoviam veniens, Synodum celebravit contra quendam Martinum, circa modum locandi digitos ad Crucis ſignum ut refert Ribera Tom. 3. pag. 342. Obiit Annô 1156. Cum ſediſſet Annis triginta duobus.

XIII. CLEMENS.

Mundi 6667. Annô Chriſti 1156.

In Ruſſia ortus, Civis Smolaticenſis, probitate morum, doctrinâ, & Monaſticæ vitæ laude commendatus, dignus fuit, ut ſine recurſu ad Patriarcham eligeretur in Metropolitam. Quùm enim fama perveniſſet ad Ruſſiam, renovari Photianum Schiſma per Lucam Chryſobergen Patriarcham, Epiſcopi Catholici factô Conſilio cum Jſaslao Principe pientiſſimo, convenerunt Kijoviam, Onuphrius Czerniechovienſis, Theodorus Białogrodenſis, Eutymius Pereaſlavienſis, Damianus Jurienſis, Theodorus Vladimirienſis, Niphon Novogrodenſis, Emanuel Smolenſcenſis Epiſcopi, ac rejectô rucurſu ad Patriarcham, elegerunt Clementem Virum præſtantiſſimum, ut teſtatur Synodus Kijovienſis ſub Cyrillo III. celebrata; „ubi ità dicitur: Prædeceſſores noſtri id fecerunt ſub „Jſaslao Magno Duce, nam convocatâ Synodô, Canoni-„cè Clementem Metropolitam conſtituerunt, hæc ibi. Undè peractâ Canonicâ Conſecratione, Clementem coronaverunt Sancti Clementis Papæ & Martyris Capite, in teſtimoni-

tevimonium subjectionis, & obedientiæ Romano Pontifici quam electus Clemens cum suis septem Episcopis electoribus, & cum Principe suo profitebatur, hoc factum singulari laude dignum memoriæ reliquit commendatum Eruditus Koiałowicz iu Miscellaneis fol. 42. Hæc Coronatio magnam excitavit dissensionem in Episcopis Disunitis, qui electionem Clementis, uti contra præscriptam à Canonibus formam respuerunt, reclamantibus & respondentibus Catholicis Episcopis, servatâ impositione manuum, & Consecratione Clementem Canonicè fuisse ordinatum, impositionem verò Capitis S. Clementis, externam protestationem Obedientiæ Pontifici Romano fuisse adhibitam. Hinc falsum est, quod contrarij scripsêre, Clementem fuisse depositum, & in locum ejus Constantinum subrogatum, tum quia Jsaslaus Princeps Catholicus nunquam hoc permisisset, tum quia Clemens juxtà alios quatuordecim annis, juxtà alios novem Annis regebat Sedem Suam, in eaque magnus Fidei Catholicæ defensor decessit, cum sedisset Annis novem. Cui successit.

XIV.. CONSTANTINUS.

Mundi 6673. Annò Christi 1165.

Genere Græcus, non intrusus, sed electus in præsentia Roscislai principis Catholici, qui jus eligendi Metropolitam per Comprovinciales Episcopos strenuè sustinebat, quàmvis Patriarcha ex Synodo Chalcedonensi Act. 16. illud sibi usurpâsset. Sedit Annis tribus, totidem Annis vacabat sedes.

XV. THEODORUS.

Mundi 6680. Annô Christi 1172.

Græcus, electus ab Episcopis, & Consecratus, prius

 emissâ

emiſſiâ Fidei Catholicæ profeſſione. Sedit Annis quatuor.

XVI. JOANNES III.
Mundi 6685. Annô. Chriſti 1177.

Græcus, Sacris, politiciſque Literis excultus, Conſtantinopoli miſſus Kijoviam, à Roſciſlao Principe Ruſſiæ Catholico, filio Jſaslai, tamdiu admiſſus non eſt, donec Alexandro III. Romano Pontifici per Epiſtolam, veram obedientiam & fidelitatem teſtaretur, in qua Epiſtola ita „loquitur; ut refert Herbeſteinius: Dilexi decorem tuum „Domine, ac Pater Beatiſſime, Apoſtolicâ Sede, ac vo„catione digniſſime, qui ex remotis reſpicis ad humili„tatem, & paupertatem noſtram, & aliis dilectionis fo„ves nos. Integram hanc Epiſtolam ſervari in Scriptis Slavonicis teſtatur Stricovius pag. 224. Joannes itaque ſedit Annis duobus. Cui Succeſſit.

XVII NICEPHORUS II.
Mundi 6688. Annô Chriſti 1180.

Eo tempore electus & Conſecratus Metropolita, quo Henricus Bałdvini frater, è gente Gallica, Jmperator Orientis inauguratus eſt, Maurocenus quoquè Venetus Patriarchatum conſtantinopoli gerebat, proindè Nicephorum Catholicum fuiſſe conſtat. Sedit Annis triginta, Sedes vacabat Annô unô.

SÆCU-

SÆCULO XIII.

XVIII. MATHIAS.

Mundi 6719. Annô Christi 1211.

A plerisque Mathæus appellatur, Successit Nicephoro, in dignitate & fidelitate æqualis, ejus consensu Colomanus Andreæ Regis Hungariæ filius, ductâ in uxorem B. Salomeâ, Lesci quinti Ducis Poloniæ, filiâ, Boleslai Pudici Sorore, per Vincentium Kadłubkonem, Episcopum Cracoviensem, iń Regem Haliciæ & Vladimiriæ Coronatus est. Sedit Mathias Annis Octo. Sedes vacabat Annô unô.

XIX. CYRILLUS I.

Mundi 6728. Annô Christi 1220.

Defunctô Mathiâ Episcopi Rutheni neglectâ Legatione pro impetrando Metropolitano Constantinopoli, elegerunt Cyrillum Ruthenum, pietate, & doctrinâ præstantem, qui Legatum expedivit ad Honorium III. Papam, pro implorandis, & mittendis Viris Apostolicis in Russiam, sed Honorio hôc Annô 1227. defuncto, petitio frustrata est, Cujus Successor Gregorius IX. Papa cum Literis Apostolicis misit in Russiam S. Hyacinthum cum Sociis Annô 1233. qui Kijoviam veniens, Vladimirum III. Ryrikovium Ducem ad Unionem Sanctam convertit, filiam ejus cæcam illuminavit, filium ejus Svatoslaum tunc natum baptizavit, locum pro Ecclesia, & Monasterio ædificando obtinuit, cujus donationem Alexander Dux Litvaniæ & Kijoviæ Diplomate confirmavit Annô 1411. Dæmonem ex idolo fugavit miraculis, &

prædicatione Ruthenos illuſtravit, totamque peragravit Ruſſiam, cum ingenti animarum lucro. Hinc minus veri habet Cromeri aſſertio, qui lib. 7. pag. 130. dicit; non diu Vladimirum in Unione perſeverâſſe, fuit equidem turbatio modica in Ruſſis propter Decretum Gregorij Papæ IX. quo prohibebat Pontifex connubia Latinorum cum Schiſmaticis fæminis, ſed labore S. Hyacinthi pacata eſt, ac Vladimirus conſtans in Unione perſeveravit adjuvante Cyrillo, qui ſedit Annis Novem, Sedes vacabat Annis duobus.

XX. JOSEPHUS I.
Mundi 6739. Annô Chriſti 1231.

Succeſſit immediatè Cyrillo, plerique affirmant, Cyrillo primo ſucceſſiſſe alterum Cyrillum, fuit Joſeph genere Græcus, patriâ Nicænus fide Orthodoxus, regnante Svatoslao III. Vladimiri III. filio, qui primo prælio Victor Tartarorum, altero prælio victus occubuit ut refert Stricovius lib. 6. pag. 286. Sedit Joſeph Annis quinque.

XXI. CYRILLUS II.
Mundi 6744. Annô Chriſti 1236.

Ruthenus, pietate, doctrinâ, & zelo celebris, electus Metropolita, regnante Daniele Romanowicz, Kijoviæ, & Haliciæ Duce, qui contractô Matrimoniô cum Conſtantia Belæ IV. Regis Hungariæ filia, S. Cunegundis Sorore, duos ſuſcepit filios Leonem & Romanum, ac duas filias, Agaphiam & Mariam, Operâ S. Hyacinthi reconciliatus Romanæ Eccleſiæ, ut refert Bzovius in Thaumaturgo Cap. 15. miſit Legatos ad Concilium Generale

Æcumeni-

Æcumenicum XIII. Lugdunenſe primum, ab Jnnocentio IV. poſtulans, ut receptus in gremium Eccleſiæ, Coronaretur in Regem Haliciæ, totiuſque Ruſſiæ, credidit JNNOCENTIUS promiſſis ejus, miſitque Opiſonem, Abbatem Meſſanenſem, Epiſcopum Madenſem, & Jacobum Creſcentium Romanum Ord. Prædicatorum Theologum, qui Kijoviæ ſolemni ritu Coronârunt Danielem in Regem Ruſſiæ Auſtralis, Cyrillus quoque nomine omnium Epiſcoporum, Cleri, & Monachorum juramentum fidelitatis miſit JNNOCENTIO IV. Sedit Annis duobus, Sedes vacabat Annô unó.

XXII. CYRILLUS III.

Mundi 6747. Annô Chriſti 1239.

Ruthenus, Succeſſit Cyrillo II. ab JNNOCENTIO IV. accepit conceſſi, à JOANNE VIII. S. Methodio Archiepiſcopo Moraviæ Privilegij Confirmationem Celebrandi Sacra idiomate Slavonico, Celebrâſſe Synodum Kijoviæ pro reformatione Cleri, certum eſt, Cujus Acta impreſſa ſunt apud Kulcinium, Jn hac Synodo Conſecratus fuit Serapion Epiſcopus Vladimirienſis. Peractâ Synodo habuit Sermonem ad Clerum, qui paritèr extat in Specimine Kulcinij. Quùm Daniel Rex in Schiſma priſtinum, & crudeles mores recidiſſet, triſti nuncio ad JNNOCENTIUM delato, iterum mittitur Legatus Apoſtolicus, cui ſociantur itineris Comites, Joannes Prandota Epiſcopus Cracovienſis, Gerardus Epiſcopus Ruſſorum ex Ordine S. Dominici, aliique, qui venientes Drohicinum, ad Danielem, iterum abjuratô Schiſmate, Coronatus eſt, luculentam fidelitatis ſuæ Epiſtolam JNNOCENTIO miſit, ac in vera fide vixit, uſque ad An-

num 1266. quô, vitâ functus est. Cyrillus verò Sedit Annis triginta, Sedes vacabat Annô unô.

XXIII. MAXIMUS.
Mundi 6778. Annô Christi 1270.

Ex Græcia missus Kijoviam, à Vecho Patriarcha Sanctæ Unionis Zelantissimo Propugnatore, qui pro eadem Martyrium quoque subire non recusavit. Sedem Metropolitanam Kijoviâ, Vladimiriam transtulit Maximus. Eo tempore celebratum est Concilium Generale XIV. Lugdunense Secundum, præsidente ipso Gregorio X. Papa, Anno 1274. in quo Unio Græcorum cum Ecclesia Romana stabilita est, in hac Maximus vixit fidelitèr, seditque Annis Viginti quinque, Sedes vacabat Annô unô.

XXIV. CYPRIANUS I.
Mundi 6804. Annô Christi 1296.

Hic Cyprianus omissus est in omnibus Cathalogis Metropolitarum Kijoviensium, ignotus certè fuit omnibus Scriptoribus, quia ignota erant Documenta illa, quibus probatur Successisse Maximo, Extat ille in Diplomate Leonis Ducis Russiæ, in favorem Ecclesiæ Metropolitanæ Haliciensis in Kryłos sub Jnvocatione Dormitionis Deiparæ erectæ, dato, Haliciæ die Jovis, Octavâ Martij, Annô à Creatione mundi 6809. qui correspondet Anno ab Jncarnatione Christi 1301. hoc Diploma, Slavonica Simplici dictione, ut illa ætas inculta ferebat, scriptum, ad petitionem Gedeonis Bałaban Episcopi Haliciensis & Leopoliensis Confirmatum fuit Auctoritate

Regia

Regia STEPHANI Regis Poloniæ Annô 1581. die ultima Januarij, deindè à SIGISMUNDO III. Rege Annô 1592. die primâ Octobris. In quo Diplomate Dux Leo præſentiam Cypriani Metropolitæ Kijovienſis exprimit, ut infra in Sede Metropolitana Halicienſi de illo plenius diſputabitur. Hic ergo Cyprianus ab Anno 1296. ad Annum 1308. præfuit Sedi Kijovienſi, cum Sediſſet Annis undecim.

SÆCULO XIV.

XXV. PETRUS

Mundi 6816. Annô Chriſti 1308.

Petrus Succeſſit Cypriano, qui in Wołhynia fidelibus Parentibus natus, cum ad huc in utero matris geſtaretur videbatur Matri fovere Agnum candidum, è cujus capite prodibat arbor floribus, & luce emicans, tali præſagio fatura Sanctitas ejus præſignata fuit. Duodennis Vitam Monaſticam elegit, in qua omnium Virtutum exemplar etiam provectis ætate demonſtravit; arte pingendi præſtans, Sanctorum Imagines plurimas penicillo, & Coloribus, & magis imitandis eorum virtutibus exprimebat, quarum pleræque miraculis illuſtratæ ſunt. Præsbyter ex Obedientia conſecratus, in ſolitudinem ſeceſſit, ubi multis aggregatis Sociis, Angelicam Vitam duxit, non diu tamen abſcondi potuit, defunctô enim Cypriano, juſſu Principis Conſtantinopolim navigavit, ubi ab Athanaſio Patriarcha quùm conſecraretur in Metropolitam, facies ejus Cæleſti luce fulgida cunctis apparuit. Reverſus Kijoviam, boni Paſtoris partes implevit, Sed quum Gediminus Dux Litvaniæ totam Ruſſiam ſubjugaret

jugaret Sibi, Petrus Sedem Vladimiriâ movens, cum Joanne Danielis Ducis filio, migravit usque Moscvam, antiquam Urbem primariam, primusque Moschoviæ Metropolita appellari cæpit, relictô Kijoviæ Vicariô, & indè Russi Moschovitarum nomine vocati sunt. Calumniis affectus, & accusatus apud Patriarcham, ab Andrea Episcopo Twerensi, convocatâ Synodo Perestavij, accusator damnatus est, Petrique innocentia illæsa apparuit, Fidei Catholicæ magnus defensor fuit, nam quendam hæreticum resistentem veritati Catholicæ, anathemate punivit, qui paulo post interiit. Ejus svasu Joannes Dux in Urbe Moscua Magnificum Templum Deiparæ Virgini erexit, quod ab ipso consecratum fuit, Rebus præclarè gestis, erectis in Cælum manibus orans, animam Deo reddidit, & in sepulchrò; quod propriis manibus sibi condiderat, tumulatus est, multis miraculis à Deo illustratus. Colitur à Russis die 21. Decembris. Præfuit Sedi Metropolitanæ Annis viginti uno. Sedes vacabat Annos duos. Hallucinantur plerique Scriptores, qui Joannem, illius Danielis filium comminiscuntur, qui Rex Haliciæ Coronatus fuit, Daniel enim hic patrem habuit Alexandrum Nevensem, sed quùm careret Principatu, inter filios Alexandri non nominatur, ille verò Daniel Rex Romanum Ducem patrem habuit, hic plures habuit filios, ille duntaxàt duos, Leonem, & Romanum. Joannes itaquè dictus Calita, filius fuit Danielis Alexandrowicz.

XXVI. THEOGNOSTUS.
Mundi 6839. Annô Christi 1331.

E Græcia oriundus, in auguratus Metropolita, Catholicus fuisse creditur, tum quia Andronicus junior, magnus Unionis Sanctæ Cultor Constantinopoli imperabat, undè nisi

nisi Theognostus Catholicus fuisset, non permisisset Disunitum promoveri ad Metropolitanam dignitatem in Russia; tum etiam, quia Olgerdus Magnus Dux Litvaniæ, & Russiæ, qui svadente uxore Juliana Twerensi Fidem Christi amplexus est, non Græco sed Latino ritu fuit initiatus, quod indè comprobatur, quia Petro Gastoldo, Podoliæ, & Podlachiæ Palatinatum tradidit, Minoresque Conventuales S. Francisci Vilnam introduxit, eisque Templum erexit. Sedit Theognostus Annis viginti quinque.

XXVII. ALEXIUS

Mundi 6864. Annô Christi 1356.

In Wołhynia Catholicis parentibus natus, Theodorum patrem, Mariam matrem habuit, in Baptismo Eleutherij nomen accepit. Cùm duodecim esset annorum, & capiendis avibus intenderet, Somno correptus, audivit hanc Cælestem vocem; Alexi quid perperam laboras, en ab hinc eris homines capiens. Hâc voce ad sublimiorem Statum accensus, quùm quintum supra decimum Annum viveret, Monasterium ingressus, Alexij Nomen consequutus est, miris virtutibus magnam sui famam comparavit, quâ motus Joannes Jwanowicz Dux eligi ipsum in Metropolitam curavit, quem Philotheus Patriarcha consecravit. Berdebecum Tartarorum Tyrannum adivit, & mirâ eloquentiâ vicit, & à vastatione Russiæ deterruit. Ejus famâ auditâ Amurates Agarenorum Rex rogavit eum, ut uxorem ejus cæcam illuminare non gravaretur, hoc nunciô acceptô Alexius, cum ad Sepulchrum Petri Metropolitæ prolixius oraret, mox Cereus mirabilitèr accensus ardere cæpit, quò secum acceptô, ad Reginam cæcam ingressus, accensô cereô, & a-

quâ benedicta eam aspergens, mox ei visum restituit. Ut testantur monumenta sincera Ecclesiæ Ruthenæ. Plura Templa erexit, inter quæ S. Micháëli, ad cujus Altare Sibi tumulum præparavit, tandem in bona Senectute, Sacramento Eucharistiæ refectus, obdormivit in Domino, & in suo Sepulchro conditus, miraculis clarere cæpit, colitur à Russis die 12. Februarij. De illo scripsit Joannes Bollandus in Actis SS. ad eandem diem. Sedit Annis viginti.

XXVIII. CYPRIANUS II.

Mundi 6884. Annô Christi 1376.

E Russia oriundus Coadjutor Alexij, eidem Successit, rejectis tribus intrusis æmulis ejus, Micháële, Pimene, & Dyonisio, quos partim ipsimet Duces Russiæ, partim Duces Litvaniæ repræsserunt, Solum Cyprianum, uti virum Sanctitate vitæ, & prudentiâ præstantem, dignum judicantes. Scripsit ille vitam Prædecessoris sui Alexij. Hoc tempore Jagello Dux Litvaniæ, susceptâ Fide Christi, acceptoque Nomine Vladislai, electus & Coronatus Rex Poloniæ, suæ gentis factus Apostolus Magnum Ducatum Litvaniæ incorporavit Regno Poloniæ. Sedit Cyprianus Annis triginta tribus, cujus meminit Basilius II. „Dux in sua Constitutione his verbis: Ecce Ego Ma„gnus Dux Basilius, Demetrij filius. Sedens cum Patre „meo, Cypriano Metropolita Kijoviensi, & totius Russiæ „ confirmavimus antiquum Nomocanonem de Judiciis Ecclesiasticis &c. Hunc Cyprianum confundunt cum Cypriano primo, similitudine nominis ducti, cum utriusque diversa sint tempora, & documenta.

SÆCULO

SÆCULO XV.

XXIX. PHOTIUS

Mundi 6917. Annô Christi 1409.

Post obitum Cypriani Metropolitæ, Episcopi congregati miserunt Constantinopolim Theodosium Episcopum Połocensem, rogantes Cæsarem; ac Patriarcham, ut ipsum Metropolitam constituerent, qui sederet juxtà primævam consvetudinem in Sede Kijoviensi, & regeret primam Russiæ Ecclesiam, Verum Cæsar & Patriarcha præstare hanc gratiam nolentes, rejectô Theodosio, miserunt Photium Græcum, quem minimè acceptare voluerunt Episcopi, & nunquam eum admisissent, nisi habiturum se assiduam residentiam ad Ecclesiam Kijoviensem Sacrosanctè promisisset, sed admissus, illico detexit suam perversitatem, rarò enim manens Kijoviæ, frequentius verò excurrens in Græciam, thesauros Ecclesiæ asportabat, pessimis moribus, & Schismate inficiebat populum, quibus auditis .Alexander Vitoldus Magnus Dux Litvaniæ, jussit convocari Synodum Novogrodi in Litvania, in qua congregati Episcopi, Theodosius Archiepiscopus Połocensis, ac Litvaniæ, Jsacius Czerniechoviensis, Dyonisius Luceoriensis, Gerasimus Vladimiriensis, Gelasius Præmisliensis, Sebastianus Smolenscensis, Chariton Chełmensis ac Euthymius Turoviensis Episcopi, Photium accusatum, per Decretum deposuerunt, & ejecerunt à Sede Kijoviensi, qui Constantinopolim repetens, in Monasterio Pantocratoris sedit, multis secum advectis aureis, quos Joannes Paleologus Jmperator in suos usus recepit, teste Sylvestro Syropulo. Sedit Annis Sex.

XXX. GREGORIUS I.
Mundi 6923. Annô Chriſti 1415.

Genere Bulgarus, Cognomentô Cemivlacus, Vir eruditione inſignis, & Catholicæ Unionis Studioſus, in eadem Synodo Novogrodenſi in locum detruſi Photij electus die XV. Novembris, Annô 1415. verba Synodi refero: In Templo B. Deiparæ, invocatô Sanctô Spiritu, „per gratiam ab eodem nobis datam, elegimus, ac con-„ſecravimus Metropolitam Sanctæ *K*ijovienſis Eccleſiæ, „& totius Ruſſiæ, nomine Gregorium, idque fecimus, „tum quia habemus Canones Apoſtolorum, in quibus „traditur, per duos, aut tres Epiſcopos, poſſe ordinari „Metropolitam, tum quia Prædeceſſores noſtri ſimilitèr „fecerunt ſub Jſaslao Magno Duce, nam convocatâ Sy-„nodo Canonicè Clementem Metropolitam conſtituerunt. „Quod etiam teſtatur Alexander Witoldus in Decreto „contra Photium lato his verbis: In Præſenti Synodo „elegerunt unanimitèr Metropolitam Kijovienſem, ac to-„tius Ruſſiæ, Gregorium, virum Religioſiſſimum. Scripſit Gregorius Epiſtolam ad Patres Concilij Conſtantienſis, pro concilianda Unione, quam ut efficacius promoveret, miſſus Romam à Vitoldo perhibetur. Coſſovius illum alienum à Romana Eccleſia fuiſſe fingit, ideò quòd Feſtum S Praxedis Tarnavienſis inſtituerit, quam Romana non colit Eccleſia, ſed quam inane aſſertum, utique Romana Eccleſia plurimos Sanctos proprio officio non celebrat, quos celebrant diverſæ Provinciæ, non tamen inde ſequitur illas Provincias, earumque Epiſcopos eſſe hæreticos. Defunctô Vitoldô in tantum odium exarſerunt diſuniti, quòd auſi fuerint, adhuc vivente Gregorio, Geraſimum, ſeù Eraſmum ſibi eligere Metro-

politam

politam, quem, Boleslaus Swidrigayło Dux Litvaniæ, Vitebſcij comprehendit, & vivum comburi juſſit, teſte Scricovio lib. 16. Cap. 5. Sedit Gregorius Annis viginti duobus.

XXXI. JSIDORUS.

Mundi 6945. Annô Chriſti 1437.

Jſidorum gente Bulgarum alij, Macedonem patriâ Theſſalonicenſem alij, Ruthenum plures dixerunt, & communi agnomine Jſidorus Ruthenus appellatus eſt. monaſterij S. Demetrij Conſtantinopoli Alumnus & Abbas, Vir Sapiens, Græcis, Latinisque Literis excultus, mirâ fandi eloquentiâ, incredibili in promendis Scripturis, referendiſque Patrum Sententiis memoriâ præditus, gravitate ac ſvavitate morum cunctis affabilis, & venerabilis fuit. Quùm Jmperatori à Conſiliis eſſet, ad Synodum Baſileenſem miſſus eſt, ut de Unione ineunda cum Patribus tractaret. Poſt reditum Ruſſiæ Metropolita renunciatus, in Jtaliam venit ad Concilium Æcumenicum, quod EUGENIUS Papa IV. Ferrariam prius convocaverat, deindè Florentiam, ducentorum equitum comitatu ſtipatum Jſidorum adfuiſſe tradit Cromerus. In ea Synodo Græcorum cauſam ſtrenuè primùm tuitus eſt, tandem veritate victus, Unionis Decreto ſuffragatus eſt; ſubſcripſitque Suo, & Dorothæi Antiocheni Patriarchæ nomine his verbis: Jſidorus Metropolita Kijoviæ, & totius Ruſſiæ, locum tenens Apoſtolicæ Sedis, Smi Patriarchæ Antiochiæ, Dorothæi, lubens ſubſcripſi. Conſtantinopolim regreſſus, Schiſmaticorum frangere pertinaciam non valens, in Ruſſiam rediit, ubi complures unioni reluctantes invenit, quorum malitiâ oppreſſus, à Magno Duce Baſilio carcere maceratus, fugâ demùm,

paratum ſibi ignis rogum evadens Romam ſe recepit, ubi in Cardinalium Collegium unà cum Beſſarione, Nicæno Archiepiſcopo ab Eugenio cooptari meruit, titulo SS. Petri & Marcellini exornatus. Byſantium iterum repetens, ibi egit uſque ad Urbis excidium, atque è Turcarum manibus in aliena veſte evadens, Romam rediit, Metropolitanam dignitatem Summo Pontifici reſignavit, à NICOLAO V. Epiſcopus Sabinenſis, à PIO II. Patriarcha Conſtantinopolitanus, renunciatus, obiit plenus dierum & meritorum Romæ die 27. Aprilis, Annô 1463. Sepultus in Vaticano. Plura edidit opera, de capta Conſtantinopoli, & Nigroponte. Diſputationes aliquot Actis Concilij Florentini inſertas, Orationes in Annunciationem, Præſentationem, Aſſumptionem, & Nativitatem Deiparæ, quas ex Græco Latinitate donavit Mathæus Cariophilus Epiſcopus Cretenſis. Appellatus eſt facundus Græcorum Doctor, & gentis decus. Sedit Annis quindecim.

XXXII. GREGORIUS II.
Mundi 6960. Annô Chriſti 1452.

Bulgarus, fidelis amicus, & comes Jſidori Cardinalis, qui dum Conſtantinopolim perrecturus, ut Legatione Summi Pontificis fungeretur, Metropolitanam dignitatem reſignaret, non alii, niſi Gregorio conferendam curavit, itaque NICOLAUS V. Pontifex ad Commendationem Iſidori, Gregorio contulit hunc honorem, illumque à ſe Conſecratum, remiſit in Ruſſiam; fuit Gregorius Archimandrita S. Demetrij Conſtantinopoli, ſinceræ fidei, & doctrinæ, quem Caſimirus Rex Poloniæ lubenti animo recepit. Interea Jonas à Moſchis electus Kijovienſem Sedem invadens, Gregorium ab illa conabatur

tur

tur expellere, qua de re consultus PIUS II. Bullam edidit Annô 1458. tertio nonas Septembris, quâ Jonæ Superiorem Russiam, seù Moschoviam, inferiorem verò Russiam, Regibus Poloniæ subjectam, Gregorio, ejusquè Successoribus perpetuò administrandam adjudicavit, Kijoviensi itaquè Metropolitano hos Suffraganeos Episcopos esse voluit, scilicèt; Polocensem, Brestensem, Smolenscensem, Luceoriensem, Vladimiriensem, Præmisliensem, Chełmensem, Leopoliensem, Haliciensem, Turoviensem. Abhinc Moschovia suos, Russia Polonica Suos Kijovienses habere cæpit Metropolitas. Kijoviensem regebat Gregorius, Moschoviensem verò Theodosius, & ejus Successores, quos refert Ribera, ego Catholicos Kijovienses Metropolitas prosequor, relictis Moschoviensibus. Emendandus est Kulcinius, qui Gregorium à Nicolao V. ordinatum dicit Annô 1442. quùm eô Annô nondum Pontifex electus fuerit Nicolaus, nam Annô 1449. electus est, & Pontificatum gessit ad Annum 1455. Gregorius sedit Annis Sexdecim.

XXXIII. MISAEL
Mundi 6976. Annô Christi 1468.

Episcopus primùm Smolenscensis, electus Metropolita Kijoviensis Catholicus, Legatos misit ad SIXTUM IV. scilicèt Jacobum Notarium M. D. L. Joannem Soł-

N tan

Annô 1458 Leopolis, & Halicia necdum suos habebât Episcopos, sed per Vicarios regebatur, proindè nomine Episcopatûs Leopoliensis & Haliciensis intelligendæ veniunt Diæceses, Metropolitæ Kijoviensi assignatæ quæ post incursiones Tartarorum proprium non habentes Episcopum, referebantur ad Metropolitanum Kijoviensem ad Annum usque 1539.

tan Thesaurarium, cum recognitione, & obedientia, huic Legationi subscripsêre Misáël Metropolita, Joannes Kijoviensis, Macarius Vilnensis Archimandritæ, Micháël, & Theodorus Principes, Joannes Chodkiewicz Supremus Dux & Mareschalcus M. D. L. Demetrius Princeps, alijque. Sedit Annis novem.

XXXIV. S I M E O N.

Mundi 6985. Annô Christi 1477.

Successit Misáëlì in dignitate, fide, & moribus. Sedit Annis quinque.

XXXV. J O N A S I.

Mundi 6990. Annô Christi 1482.

Hlezna, inauguratus Metropolita, Catholicus fuisse vel indè comprobatur, quòd Casimiro Regi Poloniæ, qui contra disunitos legem tulit, morienti assistebat, certè Rex Catholicus moriens non admisisset Pontificem de fide suspectum. Sedit Annis Septem.

XXXVI. M A C A R I U S I.

Mundi 6997. Annô Christi 1489.

Archimandrita Vilnensis Monasterij SSmæ Trinitatis, qui subscripsit Legationi à Misáële expeditæ ad SIXTUM IV. electus Metropolita, sinceræ fidei fuisse pro certo habetur. Cossovius tradit, ipsum à Tartaris captum, & capite truncatum fuisse, cujus Corpus in marmoreo tumulo ad S. Sophiam incorruptum servari perhibet. Sedit Annis Sex.

XXXVII.

XXXVII. JOSEPH II.
Mundi 7003. Annô Christi 1495.

Ex Nobili Litvana Prosapia Sołtanorum ortus, ex Episcopo Smolenscensi renunciatus Metropolita, adeò sincerus Sanctæ Unionis in Concilio Florentino stabilitæ fuit Cultor, ut ab ipsis Moscis Latinus meruerit appellari, Annô 1510. Vilnæ Synodum celebravit, in qua nullam mentionem Patriarchæ, ejusque obedientiæ fecit. Alexandri Ducis Litvaniæ, fratris S. Casimiri, Uxorem, Helenam Joannis Wasilewicz Ducis Moschoviæ filiam ad Unionem Sanctam reducere satagebat, sed irrito conatu, quia Alexandro electo Rege, Coronata non est in Reginam propter suam obstinationem in Schismate. A Sigismundo I. Rege, Successore Alexandri obtinuit Privilegium in favorem Unitorum. Sedit Annis viginti duobus.

SÆCULO XVI.

XXXVIII. JONAS II.
Mundi 7025. Annô Christi 1517.

Archimandrita Minscensis ad importunas præces Helenæ Alexandri Regis Uxoris, Viduæ relictæ, à Sigismundo Rege permissus occupare Sedem Metropolitanam, acerrimus impugnator Unionis, cujus svasu plures Viri Nobiles, à Fide avulsi sunt, inter quos Constantinus Princeps Ostrogiensis fuit Principalis, cui dum Sigismundus conferret Palatinatum Trocensem, adeò ægrè tulit Equestris Ordo; ut Rex in Comitiis Grodnensibus

1522. Se, Suosque Successores lege adstrinxerit, nullum ab Ecclesia Romana alienum, ad Senatoriam promovere Dignitatem, Sedit Jonas Annis Sex, qui Jonæ Successerunt, ejusdem Fidei fuêre, usque ad Micháëlem, ideò nihil dignum calamo reliquerunt.

XXXIX. JOSEPH III.

Mundi 7031. Annô Christi 1523.

Ex Episcopo Połocensi electus Metropolita. Sedit Annis Octo.

XL. MACARIUS II.

Mundi 7039. Annô Christi 1531.

Olim Aulicus Helenæ Capellanus, Sedit Annis undecim.

XLI. SYLVESTER.

Mundi 7050. Annô Christi 1542.

Ex Familia Wielkiewiciorum, olim Thesaurarius M. D. L. deindè Archimandrita Vilnensis, demum electus Metropolita, Sedit Annnis Septemdecim.

XLII. JONAS III.

Mundi 7067 Annô Christi 1559.

De Stirpe Protasowicz, ex Episcopo Pinscensi & Turoviensi electus Metropolita. Sedit Annis Octo.

XLIII.

XLIII. E L I A S.
Mundi 7075. Annô Christi 1567.

Cognomentô Kucza, pari sorte, & dote successit Jonæ. Sedit Annis undecim.

XLIV. O N E S I P H O R U S.
Mundi 7086. Annô Christi 1578.

Cognomine Dziewocza quem Hieremias Patriarcha à Turcis expulsus Constantinopoli, per Poloniam vagabundus, Vilnæ privavit dignitate Metropolitana, eò; quòd ei ingentem extorquenti pecuniam, dare recusaverat. Sedit interim Annis decem.

XLV. M I C H A E L III.
Mundi 7096. Annô Christi 1588.

Ex Jllustri Prosapia Rahosarum progenitus, ex illa enim, prodiit Rahoza Magnus Cancellarius Litvaniæ, alter Thesaurius Bogdanus, multique in Equestri Ordine rectefactis illustres floruerunt. Michàël igitur ab eodem Hieremia in locum detrusi Onesiphori subrogatus, Synodum Brestensem statim celebravit, in qua ab Episcoscopis itum est in sententiam unanimem, potius Romano Pontifici, quam Patriarchæ esse obediendum, ut innuit Zochowski Metropolita in Colloquio Lublinensi fol. 32. Jntereà quùm Jeremias constituisset novum Patriarcham in Moschovia, & ingentes pecunias indè collegisset, quibûs erogatîs Turcarum Jmperatori, Patriarchatum

Byſantinum conſequutus, memor injuriæ illátæ ſibi à Micháële Rahoza, eò; quòd eſſet fruſtratus ſpe extorquendæ pecuniæ, Literam ſuam publicavit, quâ Micháëlem à dignitate Metropolitana, & à Communione Eccleſiæ amovit, & excluſum declaravit. Quo nuncio offenſi Epiſcopi Rutheni Catholici, inſtabant, ut Synodus Breſtenſis in Litvania convocaretur, quam convocavit Micháël Annô 1594. die ſecunda Decembris, Cujus nomine elegerunt duos Legatos, Hipacium Pociey, Vladimirienſem, & Cyrillum Terlecki Luceorienſem Epiſcopos, quibus ſuffragatus eſt Sigiſmundus III. Rex literis ſuis Regiis Commendatitiis Sedi Apoſtolicæ. Grato animo ſuſcepit Legatos CLEMENS VIII. illoſque in publico Cardinalium Conſiſtorio Vaticano audivit, poſt oſculum pedis, Profeſſionem Fidei in manibus Pontificis, & juramentum fidelitatis ſuper Evangelium fecerunt, cum Summa Urbis exultatione. Acceptis â CLEMENTE Literis, & benedictione, cum ad propria felicitèr reverterentur, Micháël Metropolita iterum convocavit Synodum Breſtam Litvaniæ Annô 1596. ad quam convenerunt Legati Summi Pontificis, Archiepiſcopus Leopolienſis Joannes Sieniński, cum duobus Latinis Epiſcopis, Legatus Regius, Princeps Nicolaus Chriſtophorus Radziwiłł, Dux & Palatinus Trocenſis, Leo Sapieha Cancellarius M. D. L. Demetrius Halecki Theſaurarius, & alij. Itaque Metropolita cum tanto congremio veniens ad Templum S. Nicolai, juſſit legi literas CLEMENTIS Papæ, quas legit Hermogenes Archiepiſcopus Połocenſis, quibûs lectis, mutuo pacis oſculo omnes Epiſcopi reconciliati ſunt. Liturgiam Metropolita cantavit, Concionatorem de Sancta Unione egit Petrus Skarga Soc: JESU, & ſic ſub anathemate pax & Unio ſtabilita eſt, & confirmata. Dum hæc agerentur, Nicephorus Schiſmaticus cum Arianis,

nis, & Anabaptiſtis in quadam taberna convenientes, Synodum illam execrare auſus eſt, ſed mox comprehenſus & exilio damnatus eſt, diſperſis aſſeclis. Tam præclarè geſtis rebus Micháël, obiit Annô 1598. Epiſtolam Synodicam ad CLEMENTEM VIII. directam, uti pretioſum Sanctæ Unionis teſtimonium exhibeo, quam refert R. P. Micháël Le Quien Tom. 1. pag. 1276. Sanctiſſime Pater, Paſtor Summe Eccleſiæ Chriſti, Domine Clementiſſime.

Repetentes memoria conſenſum in omnibus, atque Unionem Orientalis, atquè Occidentalis Eccleſiæ. Ac proindè, ſciente, volentequè Domino noſtro Sigiſmundo III. Dei Gratia Poloniæ & Sveciæ Rege, Magnoquè Duce Litvaniæ, cujus ſingulare ac Sapientiſſimum Studium hac in re enituit; mittimus ad Sanctitatem Veſtram cariſſimos fratres noſtros Reverendos in Chriſto Hypatium Pociei Protothronum atquè Epiſcopum Vladimirienſem ac Breſtenſem, & Cyrillum Terlecki Exarchum atquè Epiſcopum Luceorienſem, & Oſtrogienſem, quibus mandavimus, ut Sanctitatem Veſtram adéant; ac, ſi quidem Sanctitas Veſtra Adminiſtrationem Sacramentorum, Rituſque ac Ceremonias Orientalis Eccleſiæ integrè, inviolabilitèr, atquè eo modo quo tempore unionis illis utebamur, nobis conſervare, confirmarequè pro ſe & ſucceſſoribus ſuis in hac parte, nihil innovaturis unquam, dignetur ſuo & omnium noſtrum Archiepiſcopi & Epiſcoporum, totiuſque Eccleſiaſtici noſtri ſtatûs, & ovium commiſſarum nobis Divinitus nomine, Sedi Sancti Petri & Sanctitati Veſtræ, uti Summo Paſtori Eccleſiæ Chriſti debitam obedientiam deferant. &c. Data ex Regno Poloniæ & Magno Ducatu Litvaniæ die duodecima Junij. Annô Domini 1595. juxtà Calendarium vetus.

Micháël Dei gratiâ Archiepiſcopus, Metropolita Kioviensſis, Haliciensſis, & totius Ruſſiæ.

Hypation Dei gratiâ Protothronus, Epiſcopus Vladimiriensſis Breſtensſiſquè.

Cyrillus Terlecki Dei gratiâ Exarcha, Epiſcopus Luceoriensſis, Oſtrogiensſiſquè.

Gregorius nominatus Archiepiſcopus Vladika Polocensſis, & Vitebſcensſis.

Micháël Kopyſtyńſki Epiſcopus Præmisliensſis. Samborensſisquè.

Gedeon Bałaban Epiſcopus Leopoliensſis.

Dionyſius Zbirowſki Epiſcopus Chełmensſis.

Leontius Pełczycki, Epiſcopus Pinſcensſis, Turoviensſisquè.

Jonas Hohoł Archimandrita Cobrinensſis, Eccleſiæ S. Salvatoris.

Idem Jonas Hohoł, Nominatus Epiſcopus Pinſcensſis, Turoviensſisquè.

Reſcriptum CLEMENTIS VIII. per Legatos, Micháëli Metropolitæ, cæteriſque Epiſcopis tranſmiſſum, uti inſigne benevolentiæ Pontificiæ pignus exhibetur.

CLEMENS Papa VIII.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

BEnedictus ſit Paſtor ille bonus, & Princeps Paſtorum qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, qui venit ut eas diſperſas adduceret, & congregaret, ut omnes unum ſint, ſicut Jpſe & Pater unum ſunt. Benedictus ſit Jpſe, qui dives eſt in miſericordia, & ſecundum divitias

vitias bonitatis Suæ fecit vobiſcum, & replevit nos gaudio Spirituali, propter converſionem veſtram; ad hanc veſtram Matrem Cariſſimam, Sanctam Romanam Eccleſiam, quæ eſt Magiſtra & Mater omnium Eccleſiarum, quæ Materno affectu, jam pridem hoc expectabat, & aſſiduè precabatur à Patre luminum, qui dat Spiritum bonum, & Sapientiam his, qui invocant eum in veritate. Deus enim Ipſe Cæleſti ſua luce corda veſtra illuſtravit, ut veterum errorum tenebris disjectis, agnoſceretis, quia unus eſt Deus, & una fides, & una Eccleſia Catholica, & Apoſtolica, ſupra unum Petrum Apoſtolorum Principem fundata, Cui Chriſtus ipſe, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ, immobilis petræ firmitatem dedit, cui oves ſuas & agnos credidit, juſſitquè ei, ut ipſe confirmaret fratres ſuos, Epiſcopos: qui in partem ſolicitudinis vocantur, & veluti Caput, omnia membra regeret; unum eſt enim viſibile Caput, Eccleſiæ Catholicæ, unus in terris Vicarius, æterni Sacerdotis, & Epiſcopi animarum noſtrarum JESU Chriſti, Summus Romanus Pontifex, Beatiſſimi Petri Apoſtoli Succeſſor, cui qui non adhæret, longè à via Salutis aberrat, & qui cum eo non colligit, diſpergit. Rectè igitur Fratres, & piè, ac prudentèr Spiritu Sancto Auctore ſtatuiſtis venire ad montem Domini, & ad Domum DEI Jacob, ut doceret vos vias ſuas, & ambularetis in ſemitis ejus. Miſiſtis enim ad Nos Oratores Veſtros, pios, & Religioſos homines, & Dei zelo præditos, Venerabiles Fratres, Hypatium Vladimirienſem & Breſtenſem, & Cyrillum Luceorienſem & Oſtrogienſem Epiſcopos, qui Literas veſtras Nobis reddiderunt, quibûs ſignificatis, cupere vos vehementèr Corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia Catholica adglutinari, & ad Noſtram, & Romanæ Eccleſiæ Communionem admitti, quemadmodum olim Majores Veſtri,

in Sacra Generali Synodo Florentina admissi sunt. Ac propterea vos ijsdem Episcopis, & Procuratoribus Vestris, mandata dedisse, ut vestro & eorum proprio, totiusquè Cleri, & populi nationis vestræ nomine, huic Sanctæ Sedi, & humilitati nostræ, uti Summo Pastori Ecclesiæ Christi, debitam Obedientiam deferrent. Nos igitur qui pro nostro Pastorali Officio, nihil aliud quærimus, quàm animas Christo lucrari, & fidem Catholicam propagare, eosdem vestros Co-Episcopos, tanquam Nuncios pacis, omni cum humanitate excepimus, idquè tanto impensius, quòd Carissimus Filius Noster Sigismundus Poloniæ & Sveciæ Rex, de vestra Salutari deliberatione ad nos scripserat, totumquè hoc conversionis vestræ, & membrorum ad Caput conglutinationis pium negotium accuratè commendaverat, quod nonnulli item Venerabiles Fratres nostri Poloni Episcopi fecerunt; quare petitionibus, & oblationibus vestris consideratis, quas iidem Episcopi, & Procuratores Vestri detulerunt, & omnibus, gravi & prudenti consultatione examinatîs, & deliberatis, tandem ad laudem & gloriam Dei Omnipotentis, ad Sanctæ Ecclesiæ exaltationem, & fidei Catholicæ incrementum, statuimus, Vos & Clerum populumquè vestrum intra Ecclesiæ Catholicæ gremium recipere, & ad nostram, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Unionem admittere; quod ut ritu magis solemni fieret, certo præstituto die, qui fuit tertius & vigesimus, proximi Mensis Decembris, Sacrô quatuor Anni temporum jejuniô, & Vigilia Natalis Domini insignis, Venerabiles Fratres nostros, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, eorumquè Sacrum & amplissimum Collegium convocavimus: quibus nobiscum considentibus multis etiam præsentibus Prælatis, & viris honoratis Aulæ Romanæ, duos Episcopos, & Oratores vestros, introduci, vestrasquè Literas & Decre-

tum

tum de Unitate cum Romana Ecclesia petenda, & Obedientia Nobis, uti Capiti, & Summo Ecclesiæ Pastori præbenda, clara voce legi jussimus, primùm Rutheno vestro Sermone, deindè Latino, mox ijdem Episcopi duo, Catholicæ fidei Professionem, de scripto fecerunt, tam suo, quam vestro nomine, omnesquè hæreses, & Schismata, & errores detestati sunt, & eos præsertim, qui vos hactenus à Sancta Romana Catholica Ecclesia separârunt, & disjunxerunt, & Nobis, qui licèt indigni, & meritis impares, Deo tamen ita disponente, Beati Petri locum, & Auctoritatem tenemus, Successoribus Nostris, & Sanctæ huic Apostolicæ Sedi perpetuam obedientiam præstiterunt, quam Nos, unà cum iisdem Fratribus nostris Cardinalibus accepimus, & duos Episcopos Oratores vestros, & te Frater Archiepiscope, & vos omnes Episcopos Corpore quidem absentes, sed Spiritu præsentes, uti Fratres, & membra nostra, unà cum Clero, & populo vestro, complexi sumus caritate sincera, in visceribus intimis JESU Christi, tanto nostro cum gaudio, & omnium qui aderant, quantum ne cogitatione quidem quemquam æstimare, nedum verbis exprimere satis licet. Ergo in æternum benedicta sit Sancta, & individua Trinitas, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Fratres verò nostros, Hypatium & Cyrillum Episcopos, Prælatos nostros Domesticos, & Assistentes fecimus, qui sæpius nobiscum interfuerunt, ad Sacrum & tremendum sacrificium, & Solemnes Divinorum Officiorum functiones, & præcipuè in Basilica religiosissima, ad Venerandum Corpus Principis Apostolorum, ut veræ Unionis, & Communicationis in Christo, manifesta signa exstarent. Eosdem autem cum opus fuit, benigne ad Nos, privatim etiàm admisimus, & dum hic fuerunt, omni cum humanitate tractari jussimus, & discedentes, omni erga vos, &

illos, benevolentiæ ſignificatione proſecuti ſumus. Quæ enim expetere viſi ſunt, libenter, quantum cum Domino licuit, conceſſimus, Ritus enim, & Cæremonias veſtras quæ Fidei Catholicæ integritatem, & mutuam noſtram conjunctionem, nequaquam impediunt, eadem ratione, & modo, quo à Concilio Florentino permiſſum eſt, & Nos quoque vos retinere permiſimus. Sigiſmundo Regi, Filio Noſtro Cariſſimo, Vos & Eccleſias veſtras, earumque Bona efficaciter commendavimuś, atque ab eo petivimus; ut non ſolùm Vos & veſtra, Sua ope & Auctoritate tueatur, ſed etiam ut vos ornet & amplificet, & Senatoribus Regni adſcribat, quamdiu in Eccleſiæ Romanæ obedientia & Fidei Catholicæ integritate permanſeritis, quod Deo auxiliante perpetuum fore ſperamus. Quo de negotio, ſcripſimus etiam diligenter ad complures Regni Senatores Eccleſiaſticos & Sæculares. Denique quantum cum Domino potuimus, operam dedimus, ut viſcera noſtra Paterna vobis oſtenderemus, quod multo copioſius referre Vobis poterunt Epiſcopi ipſi Oratores, & Collegæ veſtri, qui viſitatis de more, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli liminibus, & cæteris hujus almæ Urbis, Baſilicis, & Sanctorum Martyrum reliquias pro cultu venerati, ad vos cum Noſtra Benedictione revertuntur, quorum zelum & prudentiam, & inagendo ſedulitatem, in Domino commendavimus. Reliqum nunc eſt, ut Vos, quæ Romæ acta ſunt à Procuratoribus veſtris, eadem animi alacritate & ſincere relata habeatis, & confirmetis. Cujus rei cauſa volumus, ut tu Frater Archiepiſcope, Noſtra etiam Auctoritate ſuffultus, Synodum Provincialem indicas, & Epiſcopos tuos convoces, ut ſinguli profiteamini, in publico Conventu, Fidem Catholicam, ex eadem formula integre, quemadmodum Epiſcopi duo Oratores veſtri hic profeſſi ſunt. Hæc enim Fi-

dei

dei professio, quam Sancta Romana Ecclesia docet, Fides est Petri, & Apostolorum, Fides est Patrum, & Orthodoxorum, quam nisi quisquam fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit, cum eodem modo nobis, & huic Sanctæ Apostolicæ Sedi, veram obedientiam spondebitis; Et de his omnibus, quæ à Vobis in Synodo acta erunt, Literas ad Nos dabitis, ritè conscriptas, & publica Auctoritate communitas, ut ad perfectæ Conversionis Vestræ, & ad Ecclesiam Catholicam Romanam aggregationis & Unionis testificationem, & ad memoriam posteritatis perpetuam, in Nostris Archivis, & Tabularijs conserventur. Scripsimus autem & ad Latinos Episcopos, Fratres nostros, Archiepiscopum Leopolis, & ad Episcopos Luceoriensem & Chełmensem, ut in eadem Synodo Vestra interesse velint, ut hæc inter Fratres unio tanto profundiores caritatis radices agat, & tanto firmius in Domino coalescat. Agite igitur Fratres, confitemini Deo Cæli, & coram omnibus viventibus date Gloriam Nomini Ejus, qui fecit mirabilia magna solus, qui Vos in viam pacis, & Salutis direxit, & Vos nobiscum conjunxit, & statuit supra petram pedes vestros, ut non essetis, veluti parvuli fluctuantes omni vento doctrinæ, sed ut viri perfecti, in plenitudinem Christi, stabiles essetis in Fide & Nobiscum unà ambularetis in Domo Dei, cum consensu. Conservate hanc mentem, Fratres, conservate pacem & Charitatem, quæ est vinculum perfectionis, conservate Sanctam humilitatem, quæ diaboli machinas prosternit, & Domino summoperè placet, qui dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Pascite gregem vestrum, verbo & exemplo, & docete eum viam bonam & obedientiam, erga Apostolicam Sedem & Romanam Ecclesiam, ut cum eo ad gaudia æterna perveniatis. Postremò orate pro nobis, ut gravissimum hoc Pa-

 storalis

ſtoralis Officij onus in hac temporum acerbitate, ipſo adjuvante, qui dat omnem ſufficientiam, & infirma corroborat, ad ejus gloriam fortiter ſuſtineamus. Gratiâ Dei ſit vobiſcum Fratres, quibus noſtram Apoſtolicam Benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII. Februarij. M. D. XC. V. Pontificatûs Noſtri Annô quartô.

Silvius Antonianus.

XLVI. HYPATIUS.

Mundi 7106. Annô Chriſti 1598.

Ex Jlluſtriſſima Pocieiorum Familia Luca Pocieio, Theſaurario M. D. L. & Anna Łuſzczanka progenitus, in Sacro Fonte Nomine Adami appellatus eſt. Literis politioribus excultus, primùm Judex Terræ Brzeſcianenſis, deindè ejuſdem Caſtellanus. Annam, Oſtrożecciam deſponſavit ſibi, ex qua tres filias, Annam, Alexandram, & Catharinam, totidem filios Joannem, Chriſtophorum, & Petrum progenuit. Defunctâ Uxore, mundo valedicens, Inſtitutum S. Baſilij Magni elegit, in Religione Hypatij nomine inſignitus, ſed non diu latuit in Monaſterio, à Sigiſmundo enim III. Rege Poloniæ renunciatus eſt Epiſcopus Vladimirienſis & Breſtenſis, à Micháële Rahoza, Metropolita, conſecratus, eidem ſucceſſit, electus Metropolita, & Archimandrita Pieczarenſis, mox zelantiſſimus Sanctæ Unionis defenſor apparuit, fidemquè & obedientiam, quam CLEMENTI VIII. dum Legatione fungeretur, teſtatam fecerat, luculentis Documentis cumulavit. Egregia Ejus in Eccleſiam Dei merita laudat Synodus Provincialis Petricovienſis Annô 1607. Capite de Unione. Seminaria pro Ruthenis erudiendis erexit. Privilegium à Sigiſmundo Rege obtinuit, ne Eccleſiaſtici ritûs Græci Uniti citarentur ad judicia ſæcularia.

Zelo

Zelo ſuo tantum odium inimicorum in ſe excitavit, ut conſpiratione factâ necem optimo Præſuli inferre auſi fuerint, quùm enim die Corporis Chriſti in Metropolitano apparatu Solemni Proceſſioni in foro Vilnenſi aſſiſteret, quidam ſacrilegus vir diſtriſto enſe improviſè aggreſſus Hypatium, ita Caput illius animadvertit; ut: niſi leva manu ictum reprimeret Hypatius, caput amputaret, tres tamen abſcidit digitos, à minimo ad medium, Catenula aurea è Collo Hypatij pendens, retinuit enſem, Columquè à vulnere præſervavit. Avulſos digitos Hypatius in Templo Ssmæ Trinitatis ad Jmaginem Gratioſam Deiparæ Virginis appendi juſſit, cum hac inſcriptione: *Caſtigans caſtigavit me Dominus, morti autem non tradidit me*, quæ in argentea lamina inciſa eſt. Venerandum ſenem in terram corruentem levantes, Joſephus Rudzki Archimandrita, & B. Joſaphat Kuncewicz ad Monaſterium reduxerunt. Jmpius aggreſſor pro tanto ſcelere morti adjudicatus, cui vitam impetravit benignus Paſtor. Tam optimè meritus de Eccleſia Dei ad præmium æternum migravit Annô 1613. Corpus ejus ſepultum Vladimiriæ, hucuſquè incorruptum ſervatur. Scripſit eruditas Homilias, quas ſimul cum Ejus Vita Leo Kiſzka Supraslij vulgavit 1674. De Privilegijs quoquè in favorem Unitorum reliquit librum. Sedit Annis Quindecim.

SÆCULO XVII.

XLVII. JOSEPHUS IV.

Mundi 7121. Annô Chriſti 1613.

VElaminus Węzyk Rudzki, Nobilis genere, Virtute præſtantiſſimus, Succeſſit Hypatio, de quo ita egre-

giè ſcriptum reliquit Nicoláus Comnenus Pápadopoli adverſus Epiſtolam Joannis Hokſton Angli pag. 103. Velaminus Romæ in Collegio Græcorum educatus, Nobiliſſimi Sangvinis vir, & Sancti Baſilij Monachus, Vilnenſis SSmæ Trinitatis Monaſterij Præfectus, ubi apud Ruthenos ob virtutem, & Sapientiam clarus, ſupremas Jnfulas nactus eſt, atquè omni ſtudio ſchiſma delere aggreſſus, ad, Fidem Catholicam decies centena Schiſmaticorum millia convertit, dictus propterea ab URBANO VIII. Atlas Unionis, Columna Eccleſiæ; Athanaſius Ruſſiæ. Pervicaciam cæterorum, quos bonis artibus in obſequium Fidei trahere nequaquam poterat, ſæviſſimo pænarum & mulctarum apparatu perdomare decrevit per Sigiſmundum Poloniæ Regem. Hæc ille. Sedit Kijoviæ ad tempora uſquè belli, quod Vladislaus IV. Poloniæ Rex cum Kozacis, qui ab ipſo defecerant, geſſit, quod non alia ratione confectum eſt, niſi pactis Conventis, hoc eis annueret, ut Metropolitam à Patriarcha Conſtantinopolitano deſignatum, Kijoviæ manentem haberent, illô; qui Romanam Communionem fovebat, procul a mandatô, & Vilnam migrare coactô, donec benigniora tempora DEUS illi indulgeret, quo priſcam Sedem recipere ſibi liceret, ut narrat Auguſtinus Liber Baro in Mejerberg itinere Moſchoviæ pag. 68. Porrò Velaminus ſeſe Romanæ Sedis Communionis tenacem profeſſus eſt, miſſâ ad PAULUM V. Legatione Annô 1615. Quinimo Leo Allatius Lib. de Ætate, PAULI V. literas profert, quibus Velamino declaravit, nullam Ruthenis, qui Romanæ Sedis Communionem amplexi erant, neceſſitatem impoſitam, priſtinos ſuos mores omittendi, & Latinum Ritum capeſſendi, Egregiam memorîam Velamini fecit Cardinalis Palavicinus Tract. de Bono, parte 1. Cap. 2. pag. 141. Cum plerique

quê auctores necis Beato Josaphato Archiepiscopo Polocensi illatæ, pænitentiâ ducti, Supplicarent Sigismundo Regi, ut ad veniam, & Communionem Ecclesiæ Catholicæ reciperentur, Velaminus Rege annuente, indixit Congressum Leopoli die 18. Decembris, Annô 1629, in Comitatu septem Episcoporum, Archimandritarum, & Nobilium, venit Leopolim, *Solemnem Missam cantavit*, cujus tempore, Mathæus Bembus Soc. JESU, Concionatorem egit, non Comparentibûs verò disunitis, spe concepta Velaminus frustratus est. Intereà consolatus est Deus Velaminum Conversione Maximi Meletij Smotrycki, Archimandritæ Dermanensis, qui primus motor fuit occisionis B. Josaphati, hic cum Obedientiam URBANO VIII. præstitisset, & absolutionem sui sceleris clementèr obtinuisset, per Breve Apostolicum die 23. Februarij, Annô 1629. datum, quo eidem Archiepiscopatus Hierapolitanus ab URBANO oblatus est, morti proximus rogavit Monachos, ut illi morienti Breve Urbanum porrigeretur, illis cunctantibus, expiravit, itaquè digitis dexteræ manûs insertum Breve defunctus Meletius ita fortitèr compressit, ut illud nullâ vi avelli potuerit. Venit ad visitandum Corpus Velaminus, præcepitquè mortuo Meletio, ut in signum obedientiæ Breve illud ipsi liberum permitteret, res stupenda! mox defunctus, manum aperuit, & Breve dimisit. Legit illud coram ingenti multitudine Velaminus, cunctis mirantibus, & lachrymantibus, perlectum Breve amplius Velaminus digitis mortui non restituit, ut refert oculatus testis Albertus Cortisius. Soc. JESU, in Sermone edito, quem in funere Meletij habuit, quamvis affirmaverit, illud restitutum fuisse Meletio, Jacobus Susza Episcopus Chełmensis in Vita B. Josaphat fol. 112. Multis gratiis, & privilegiis à Paulo V. donatus est. Deniquè Velaminus perpessis pro Sancta Unione, immen-

R fis

ſis laboribus, ærumnis, & perſequutionibus toleratis, in bona ſenectute, Apoſtolatûs ſui præmium accepit, Annô 1637. cum ſediſſet Annis viginti quatuor. Corpus ejus Vilnæ ſepultum, & diù incorruptum Annô 1655. in Moſchoviam aſportatum fuiſſe perhibetur.

XLVIII. RAPHAEL.
Mundi 7145. Annô Chriſti 1637.

Doctiſſimus noſter Michäël Le-Quien Joſepho Velamino ſucceſſiſſe alium Joſephum, optimè quoquè erga Romanam Eccleſiam affectum, pacis, & Unionis ſtudioſiſſimum refert, ſed cum nullo teſtimonio illum probet, inſerendum Cathalogo Metropolitarum illum non judicavi, ſed Raphäëlem Velamini Succeſſorem ſtatuo, hic nobili Korſakorum in Litvania genere natus, Deo vocante Monaſticum Sancti Baſilij Inſtitutum amplexus eſt, Velamino ſuſceptore illius, & Prophetâ futuræ Succeſſionis ſuæ in Metropolitica dignitate. In Romano Græcorum Collegio Sacris Literis eruditus, evaſit in Virum Velamino ſimillimum, pietate, doctrinâ, & zelô vindicandæ Unionis. Poſt reditum in Patriam, Concionibus, ac diſſertationibus multos à Schiſmate ad Communionem Eccleſiæ revocavit, indefeſſus Velamini adjutor. Ad Epiſcopatum Pinſcenſem promotus, ab URBANO VIII. pretioſo Epiſcopali apparatu muneratus, Cui & Cardinalibus ob egregias animi dotes charus, & acceptus erat. A Vladislao IV. Rege, ad URBANUM VIII. miſſus, Legatione functus eſt, ubi inter Prælatos Aſſiſtentes, in Sacello Pontificio locum obtinuit. Poſt deceſſum Velamini ad Metropolitanum honorem provectus, alter Atlas, & ſpes Ruſſiæ affulſit, ſed eo tempore quo Vladislaus

dislaus IV. indulserat Kozacis, ut Kijoviæ suum haberent Metropolitam, hic autem erat tunc Petrus Mohyła, è Moldaviæ Palatinis originem trahens, à Theophane Hierosolymorum Patriarcha, annuente Constantinopolitano ordinatus, Schismati addictus, Vir alioquin doctus, Volumen egregium, parvum licèt Russico idiomate edidit, cui titulus: Confessio Catholicæ Ecclesiæ orientalis, ut Catholicam Fidem ob grassantem in Polonia, & Litvania Calvinismum, apud suos obfirmaret. Librum hunc subinde Orientis Patriarchæ quatuor Annô 1643. in Constantinopolitana Synodo Parthenio II. Duce approbârunt, legendumquè suis commendaverunt. Hæc autem Confessio Græcè translata, Bucorestij in Valachia prodiit Annô 1659. Subinde rursum Amstelodami Annô 1642. Parthenius I. Patriarcha Constantinopolitanus Iassiis in Moldavia Concilium coëgit, in quo Cyrilli Lucaris Calviniana dogmata anathemate secunda vice confixa sunt, hujusquè Decretis omnium primus post Patriarcham subscripsit. Petrus Mohyłas humilis Archiepiscopus & Metropolita Kijoviæ, & Haliciæ, totiusquè Russiæ, Sancti Apostolici Throni Constantinopolitani Exarcha, Archimandrita Lauræ Pieczarensis pro me, & ex persona totius in Christo Ecclesiæ Orthodoxæ & Catholicæ, quæ est in Russia minore. Jllum obiisse Annô 1662. scribit Nectarius Patriarcha Hierosolymitanus in Epistola ad Monachos Sinaitas. Quo tempore igitur Petrus Mohyła Kijoviæ suis præerat, Raphäel Catholicus Vilnam migrare coactus est; deniquè relictâ Litvaniâ bellis oppressâ, Romam profectus, Promotorem egit strenuum Beatificandi Josaphat Martyris, ubi optimè de Ecclesia Catholica meritus, ad præmium æternum migravit Annô 1641. cum sedisset Annis quatuor. Corpus ejus sepultum est in Templo SS. Sergij, & Bachi ad Montes.

XLIX. ANTONIUS
Mundi 7150. Annô Christi 1642.

Quem Allatius Anastasium appellat, Nobilis Litvanus, Cognomine Sielawa, in Archiepiscopatu Połocensi successit B. Josaphato Martyri, deindè eôdem retentô cum dispensatione Sedis Apostolicæ, ad Metropolitanum honorem promotus, gravissimis persequutionibus, & ærumnis agitatus fuit. Decreto enim Joannis Casimiri Regis, Sedes Kijoviensis cum aliis Cathedris, Disunitis adjudicata est, undè Antonius sæpius quæsitus ad necem, Tykocinium aufugiens, obiit 1655. Ejus Corpus ad Monasterium Supraslienſe translatum est. Sedit Annis tredecim. Sedes vacabat annis novem.

L. GABRIEL.
Mundi 7172. Annô Christi 1664.

De Domo Nobili, Kolendarum in Litvania natus, primùm Połocensis Archiepiscopus, deindè restitutâ paulis per pace, Metropolita renunciatus, retentô eôdem Archiepiscopatu per dispensationem Sedis Apostolicæ, Cui Joannes Casimirus Rex abrogató ut extortô Decretô in favorem Disunitorum latô, novum dedit Privilegium pro recuperanda Sede Kijoviensi, aliisquè Cathedris, Monasteriis, eorumquè bonis avulsis recipiendis, in quibus vindicandis cum duodecim Annos summo cum labore impendisset, quievit in pace. 1676. Corpus ejus in Monasterio Supraslienſi tumulatum est.

LI.

LI. CYPRIANUS III.
Mundi 7184. Annô Chriſti 1676.

Jlluſtri Zochowſciorum familia natus ſucceſſit Gabrieli, Cujus viventis Coadjutor fuit, erat vir Sacris politioribuſquè Literis excellenter excultus, eloquentiâ, & gravitate rationum movit JOANNEM III. Regem; ut Diploma ederet, quô omnia Privilegia Unitis conceſſa, confirmata ſunt. Ut verò diſuniti cum Unitis componerentur, indixit JOANNES Rex Colloquium publicum Lublini pro die 24. Januarij 1680. in præſentia Commiſſariorum, & Senatorum, ſed diſuniti prorogationem ad aliud tempus impetrârunt à Rege, ſicquè pax, & unio hucuſquè eſt prorogata. De hoc Colloquio Lublinenſi edidit eruditiſſimum Tractatum Cyprianus, multiſquè ſtrenuè pro Unione Sancta geſtis. Obiit 1694. Cum ſediſſet Annis Octodecim.

LII. LEO I.
Mundi 7202. .Annô Chriſti 1694.

Jn Wołhynia Nobili Załęſciorum Slubicz parentelâ progenitus, moribus ac literis clarus, primùm Vladimirienſem promeruit Epiſcopatum, deindè Kijovienſem Archiepiſcopatum, & Metropolitanam Dignitatem, ſed quùm in talia incidiſſet tempora, quibus ſumma diſunitorum perſequutio per potentiam, & tyrannidem plurimos Monachos in Połocenſi Monaſterio crudelitèr trucidavit, Dionyſium Zabokrzycki Epiſcopum Luceorienſem in captivitatem abduxit, alios inquirebat ad necem; Optimus Paſtor Leo coactus eſt in Dominio Jmperatoris ſuæ conſu-

lere vitæ cum aliis Epiſcopis. Tanta clades movit CLE-MENTEM XI. qui ſcriptis ad Auguſtum II. Regem Apoſtolicis Literis, tantiſper mitiorem effecit ſævitiam, quâ ceſſante, pacatô Regnô, Leo ex Auſtria revertens, non diu præluxit gregi ſuo deſolato, Annô enim 1708. Vladimiriæ deceſſit, Paſtor inſigni pietate, liberalitate, eruditione, & amore ſuæ Religionis conſpicuus. Sedit Annis quatuordecim.

SÆCULO XVIII.

LIII. GEORGIUS II.

Mundi 7217. Annô Chriſti 1709.

WInnicki, genere nobilis, virtutibus nobilior, primùm Præmislienſis Epiſcopus, deinde ab Auguſto II. Rege Nominatus Metropolita totius Ruſſiæ, totum ſe in Unitorum auxilium, & utilitatem devovit, Seminarium erexit, Capitulo Generali Ordinis S. Baſilij Magni die 30. Julij, Annô 1713. celebrato præſidebat, cumquè Præmisliam reverteretur, eôdem Annô cum ingenti omnium mærore deceſſit. Sedit annis quatuor. Corpus Ejus in Monaſterio Laurovienſi Diæceſis Præmislienſis reconditum, incorruptum eſſe perhibetur.

LIV. LEO II.

Mundi 7221. Annô Chriſti 1713.

Clariſſimo Kiſzkarum Sangvine illuſtris, primùm Prothoarchimandrita Congregationis Litvanæ, deindè Epiſcopus Vladimirienſis, demùm Metropolita ab Auguſto II. renunciatus, libros Slavonicos vitiatos emendari, ab

erroribus

erroribus purgari, & in lucem edi curavit, bona Ecclesiastica erepta, & dissipata jure vindicavit. Synodum Provincialem Zamoscianam convocavit, Annô 1720. Cui præsidebat Hieronymus Grimaldus Nuncius Apostolicus, posteà Cardinalis, quam Synodum, Sanctis Ordinationibus plenam, confirmavit BENEDICTUS XIII. & Sacra Congregatio de Propaganda Fide Sumptibus suis imprimi curavit. Homilias, & Vitam Hypatij Prædecessoris Sui in lucem edidit, magnisquè meritis clarus, obiit Annô 1728. cum sedisset Annis sexdecim.

LV. ATHANASIUS

Mundi 7237. Annô Christi 1729.

Ex præstantissima Szeptycciorum Familia oriundus, primò Abbas Unioviensis, deindè Episcopus Leopoliensis, Coadjutor Metropoliæ jam designatus à Leone Kiszka Metropolitano, post Ejus decessum ab Augusto II. Rege Nominatus Metropolita totius Russiæ, Clerum Sæcularem in Diæcesibus suis reformavit, Ordinem Sancti Basilij Magni in Capitulo Generali Dubnensi, cui ipse præsidebat, in duas Congregationes sub uno Protho-Archimandrita alternativè eligendo dividendas curavit, Pro quatuor Alumnis Ruthenis in Collegio Leopoliensi Pontificio Fundationem inscripsit, Episcopos Suffraganeos pro Russia, Litvania, & Hungaria circitèr octo consecravit. Ecclesiam Vilnensem incendio conflagratam notabili sumptu restauravit. Grodeci Cænobium Monialibus Basilianis cum Ecclesia erexit, in Villa Grodek, Bonis Metropolitanis Templum sub Titulo Sancti Nicolai cum residentia ex muro extruxit. Abbatialem residentiam cum Monasterio Unioviæ ex Lignea, muratam suis sumptibus effecit. Bona avulsa ad mensam Metropolitanam

ſpectantia à Laicis poſſeſſa, jure vindicavit, & poſſeſſioni Metropolitarum Succedaneorum ſuorum reſtituit. Jn Wołhynia Bona Grodek & Obarow in Palatinatu Kijovienſi Bona Dydowczyzna nuncupata, magnis expenſis rehabuit. Miraculoſam Deiparæ Jmagiem Zyrowiciis propriis Sumptibus à ſe Coronandam curavit. Pro Eccleſia S. Georgij Leopolienſi, quam, fundamentis à ſe jactis, perficere morte præventus nequiverat, ſummam pecuniariam Centum ſexdecim millium, octingentorum Florenorum Polonicalium, ultimæ Voluntatis ſuæ diſpoſitione reliquit. Fuit acerrimus immunitatis, libertatis Eccleſiaſticæ, & bonorum Metropolitanorum Defenſor & vindex. Sanctæ Communionis cum Romana Eccleſia alter in Ruſſia Athanaſius. Monaſteriorum, Xenodochiorum, & pauperum Pater beneficentiſſimus. Regibus Auguſto II. & Auguſto III. ac Mariæ Joſephæ Reginæ acceptiſſimus, à quibus ſibi locum in Senatu oblatum, niſi ſucceſſoribus Suis Metropolitis concederetur, humilitèr recuſavit. Senatorum, & Civium amorem, & Venerationem magnam ſibi conciliavit, utpote vir ſvaviſſimis moribus, & candore animi præditus. Plurimos Juvenes ad ſtudia Literarum ſubſidiis ſuis promovit, ex quibus Viri doctiſſimi Sacris initiati Ritûs Rutheni, cum utilitate Eccleſiæ prodierunt. Tandem morbo hydropico correptus laboribus & meritis plenior quàm Annorum, cum ſummo omnium mærore Leopoli Sancto fine quievit die undecima Decembris, Annô 1746. Cujus virtutes Perilluſtris Revmus Dominus Stephanus Mikulſki Canonicus, nunc Archidiaconus & Officialis Generalis Leopolienſis, funebri diſertiſſima Concione celebravit, Corpus ejus in Eccleſia Cathedrali Sancti Georgij reconditum eſt. Tantus Præſul immortalem Sui Nominis reliquit memoriam.

LVI.

LVI. FLORIANUS.

Mundi 7255. Annô Christi 1747.

In Palatinatu Połocensi M. D. L. ex Nobili Hrebnickiorum Familia natus, præclaris pietatis, eruditionis, & prudentiæ exigentibus meritis, ad Archiepiscopatum Połocensem ab Augusto II. promotus, interfuit Synodo Zamoscensi, cui subscriptus legitur post Episcopum Vladimiriensem, salvâ decisione Sedis Apostolicæ circa præcedentiam, sed decisum est, ut Vladimiriensis Episcopus, uti Prothotronius, præcedat Archiepiscopum Połocensem. Benedicto XIII. Pontifici Optimo ob egregias virtutes acceptissimus fuit, à quo inter Prælatos Solio Pontificio Assistentes, primarium locum obtinuit. Post decessum Athanasii administravit Metropoliam, donec ab Augusto III. Rege renunciaretur Metropolita totius Russiæ, quâ dignitate auctus, Pastoralem vigilantiam in conservanda Communione Ecclesiæ Romanæ, magnam in agendis prudentiam, & dexteritatem, insignem pietatem, & morum svavitatem auxit, & testatam reliquit. Sedi Apostolicæ proindè, quam sæpius filiali visitavit affectu, charus, & fidelissimus fuit. Połociæ Ecclesiam Cathedralem, adinstar S. Caroli Borromæi Romæ in via Cursûs erexit, & exornavit. Duos Coadjutores sibi cooptavit, Philippum Felicianum Wołodkowicz Episcopum Vladimirien, Metropolitani, Jasonem Smogorzewski Połocensis Archiepiscopatûs, Successorem habere voluit, & declaravit. Obiit in bona senectute, meritis & Annis coronatus. Cui Successit.

LVII. PHILIPPUS FELICIANUS.
Mundi 7270. Annò Christi 1762.

In Minscensi Palatinatu, Nobilissimo Sangvine Wołodkowiciorum, patre Dominico, Aloysio, Dapifero Minscensi, Mareschalco olim Tribunalis M.D.L. progenitus, cujus duo germani fratres Leo, & Stanislaus in Ordine Prædicatorum floruêre in Provincia Russiæ. Relictâ Domo Paternâ, ex qua viri Senatorii, & heroicis clari rectefactis prodierunt, Monasticum S. Basilii Magni Institutum amplexus, primò Dubnensis & Dermanensis Monasterii Abbas electus, Monasticæ perfectionis exemplar se præbuit. Ad Chelmensem promotus Episcopatum, quantum pro reædificanda, & exornanda Cathedrali sua Ecclesia, quantum pro augendo Cultu Divino, & Coronanda Icone Deiparæ Virginis, miraculis claræ, liberalitatis, & solicitudinis impenderit, ejusdem Cathedræ testantur monumenta. Ad Vladimiriensem, quæ Prothotroni insignitur titulo; provectus Cathedram, multa in utilitatem Ecclesiæ & gregis sibi commissi egregia reliquit documenta. His meritis præcedentibus, dignus fuit; ut ab Augusto III. Rege post pretiosam Floriani mortem, Metropolita totius Russiæ renunciaretur. Duos Coadjutores & Successores declaravit, Vladimiriensis Episcopatûs Coadjutorem, Antoninum Młodowski Episcopum Brestensem in Litvania, Metropoliæ verò Episcopum Leopoliensem.

COADJUTOR cum futura Successione Metropoliæ totius Russiæ, & Administrator.

LUDOVICUS LEO SZEPTYCKI

Episcopus Leopoliensis, Haliciensis, & Camenecensis in Podo-

in Podolia, deſignatus ab Jllmo Philippo Feliciano Metropolita, & ab Auguſto III. renunciatus Varſaviæ die nonâ Novembris, Annô 1762. á Clemente XIII. Apoſtolicis Literis confirmatus die decimâ tertiâ Januarii, ejuſdem Anni, factâ Fidei Profeſſione coram Eugenio Vicecomite, Archiepiſcopo Epheſino, Nuncio Apoſtolico, Amantiſſimis Literis Eminentiſſimorum Cardinalium, ſcilicèt Joannis Franciſci Albani, Protectoris Regni, Spinelli Prœfecti Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, Torrigiani Secretarii Statûs, nec non Jllmorum & Rmorum D. Marefuſchi Canonici Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ, Secretarii Congr: de Propaganda Fide, Georgii de Laſcaris, Patriarchæ Hieroſolymitani, præfatæ Baſilicæ Vicarii, aliorumquè Romanæ Curiæ Prælatorum, ſalutatus, qui propenſo corde eidem hanc Dignitatem gratulati ſunt. Annô verò 1768. die 28. Auguſti, ab eodem Clemente XIII. in Adminiſtratorem totius Metropoliæ tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus deputatus fuit, cùm Stanislao Auguſto Rege Potentiſſimo, tùm Philippo Metropolitano volente, & benignè annuente. Hiſce calamitoſis temporibus, expeditis ad Clerum, & populum Literis ſuis, plures ad Unionem ſanctam revocavit. Templa avulſa recepit. Bona Metropolitana ab ultima devaſtatione præſervavit. Plura de eo vide in ſerie Epiſcoporum Leopolienſium.

DIS-

DISSERTATIO II.

De Archiepiſcopatu Metropolitano Halicienſi, uti diſtincto à Kijovienſi

CAPUT I.

De Statu Urbis Halicienſis.

HAlicia olim amplisſima Civitas, ad fluvium Tyram, ſub monte extenſa, non procul á montibus Carpatiis, ubi frequentes ſunt ſalinæ, diſtans, quam Sancti Pontifices, & Slavinarum Gentium Apoſtoli Cyrillus, & Methodius, Evangelii, & ſacri Corporis S. Clementis Papæ & Martyris bajuli, pergentes in Moraviam, Halicienſi tractu, Sacris initiaverunt Legibus. Jllam illuſtravit Romanus Mſciſlawicz Vladimirienſis, & Halicienſis Dux ſede ſuâ Kijovienſi huc translatâ, cujus majeſtatem auxit Colomanus, Andreæ Regis Hungariæ filius, cum Salomea, Leſci quinti, & Grymislavæ filia, per Vincentium Kadłubkonem Cracovienſem Epiſcopum, in Regem Haliciæ & Vladimiriæ Coronatus, illô è vivis veneno extinctô, Regiam dignitatem renovavit Daniel Romanowicz Dux Haliciæ, bis coronatus per Opiſonem Legatum INNOCENTII IV. Sanctificavit illam Urbem S. Hyacinthus Odrovonſius Vir Apoſtolicus, qui Colomanum cum Salomea ad Caſtitatis perpetuæ amorem, Danielem ad Unionem Catholicæ Eccleſiæ amplectendam

inflam-

inflammavit, Bernardus subinde, & Bernardinus de Ordine Prædicatorum, primi Halicienses Archiepiscopi præclaro Martyrio, Christinus, & Jacobus Strepa de Ordine Minorum Conventualium Archiepiscopi Sanctitate vitæ, & doctrinis instruxerunt, & Clariorem reddiderunt. Nec solùm Latino Archiepiscopatu, verùm etiam Græco Metropolitano in Kryłos, quod uno milliari Italico Haliciâ distat Oppidum, profundis fossis, & vallis Montem munientibus, ubi Metropolitani Haliciensis Cathedra & dilecta, ac amæna Principum quondam habitatio fuisse traditur, quo loco nunc Templum veteri labente de latere erectum beneficio Josephi Szumlański Episcopi, sub Invocatione Deiparæ Dormientis, & in Cælum Assumptæ, cum Episcopali visitur Residentia. Halicia tamen tam olim celebris, crebris bellis devastata, combusta, & fluvio aquarum compressa, nunc oppido desolato similior. Præfecturâ, & Judiciis Castrensibus, ac Terrestribus insignita, nullum vetustatis reliquit monumentum, præter Propugnaculum in Monte ab Andrea Potocki tunc Præfecto erectum, Solam magni Nominis famam reliquit in Scriptoribus. Sede enim Archiepiscopi Latini translatâ Leopolim, Decanalis nunc remansit Ecclesia cum duobus Minorum, & uno Prædicatorum ligneo domicilio. Metropolitana verò Cathedra Ritûs Græci, à quo Principe fundata & dotata fuerit, ignotum planè est, non à Leone, nec à Daniele Patre ejus, quùm hi Principes non Fundatores, sed Benefactores ejus fuisse leguntur; altius repetenda est hujus Cathedræ fundatio, sed nihil certi, determinatiquè de ea statuere possumus ob deficientiam documentorum. Certum tamèn exploratum est, Haliciensem Archiepiscopum Metropolitanum, diversum omninò fuisse ab eo qui Kijoviensi præsidebat Eccesiæ; de quo nuper magna contentio exorta est, ad quam

illuſtrandam, & ſedandam, hanc Diſſertationem inſtituendam judicavi.

CAPUT II.

Halicienſis Archiepiſcopus Metropolitanus diverſus olim fuiſſe evincitur à Kijovienſi.

I. HAnc Aſſertionem duplici Diplomate Leonis Ducis, Privilegio Sigiſmundi Auguſti Regis, & teſtimonio Curopalatis Græci Scriptoris probandam aggredior. Primum Leonis Diploma in augendam dotem Tęmpli Leopolienſis Suburbani S. Nicolai Epiſcopi in Cracovienſi Suburbio ſiti, ſcriptum in pargameno Slavonico idiomate, mihi exhibitum fuit à R. D. Gregorio Suſzalſki tunc Præpoſito & Decano ejuſdem Eccleſiæ, in quo hæc leguntur: Ecce Ego Leo, Dux Terrarum Ruſ„ſiæ, filius Danielis Regis, conſilió captô cum Senatu „meo &c. In præſentia Venerabilis Metropolitæ Ha„licienſis, Joſephi de Kryłos, Andreæ Ducis Jaroſla„wicz, Ducis Waſzko, & aliorum plurimorum fide di„gnorum, circa præmiſſa exiſtentium. Scriptæ ſunt hæ „Literæ Leopoli Feriâ Sextâ die octava Menſis Octobris, Anno 6800. Hic Annus juxtà Calculum Græcorum correſpondet Annô ab Jncarnatione Chriſti 1292. Diploma verò ſubindè confirmaverunt Reges Poloniæ, Stephanus, Sigiſmundus III. Michäël, Joannes III. Auguſtus II. & Auguſtus III. ex quo talis eruitur ratio: Si Joſephus de Kryłos Metropolita Halicienſis, allegatus in Leonino Diplomate, idem eſſet, ac Metropolita Kijovienſis, tunc eodem Annô Kijovienſem ſimul ac Halicienſem regeret Eccleſiam; ſed eodem Annô 1292. Kijovienſem

vienſem Eccleſiam regebat Maximus, qui Annô 1270. inauguratus, obiit Annô 1295. Joſephus quidem primus ejus Nominis exſtat inſerie *Kijovienſium* Metropolitarum ſed ille longè ſuperiori vixit tempore. Annô enim 1231. electus ille fuit, & Annô 1236. deceſſit, Tùm etiam, quia Joſephus ille fuit genere Græcus, patriâ Nicænus, hic autem Joſephus fuit genere Ruthenus, diverſus igitur fuit Metropolita Halicienſis Joſephus de Kryłos, à Kijovienſi Metropolitano; qui ſedit ad Annum 1296. Cui ſucceſſit in Halicienſi Sede Gregorius ab Anno 1296. ſedit ad Annum 1306. quod nunc demonſtrandum eſt.

II. Secundum Leonis Diploma infavorem Eccleſiæ Metropolitanæ Halicienſis, ſub nuncupatione Dormitionis Deiparæ Virginis in Kryłos erectæ Slavonicâ lingvâ ſcriptum Haliciæ die Jovis Octavâ Menſis Martij Annô à Creatione Mundi juxtà Computum Græcum 6809. qui correſpondet Annô Jncarnationis Chriſti 1301 quod ſubindè Stephanus, & Sigiſmundus III. Reges Poloniæ adpoſtulationem Gedeonis Epiſcopi Leopolienſis confirmaverunt, mihi exhibitum à Perilluſtri Rmo Dno Antonio Lewińſki Præpoſito inſignis Eccleſiæ Dormitionis Deiparæ Stauropigianæ, Judice, & Officiali Generali Leopolienſi, Viro optimè merito, ex ſuo Authographo, Slavonicè & Latinè refero.

Actum in Caſtro Halicienſi Sabbathô poſt Feſtum Nativitatis Beatiſſimæ Virginiś Mariæ proximô, Annô Domini Milleſimô Sexcenteſimô Quadrageſimô Secundô.

Ad Officium & Acta præſentia Caſtrenſia Capitanealia Halicienſia perſonaliter veniens Famatus Gabriel Civis & Jncola Halicienſis Senior Frater Confraternitatis

Ecclesiam Nativitatis Christi Domini Ritûs Græci hic Haliciæ existen, & Religiosi Stephanus Commendarius Kryłosiensis, Jwan Podhorny & Petrus Popones, & Wasyl Diaconus, suo & totius Capituli tam Kryłosiensis quam & Halicensis Ritûs Græci Nomine obtulerunt, & ad Acticandum permodum oblatæ porrexerunt Privilegium infrascriptum, tam Latino, quam Ruthenico idiomate scriptum, manu propria Serenissimi olim Sigismundi Tertij Regis Poloniæ subscriptum, & Sigillô Minoris Cancellariæ Regni in sericeo filo appensô communitum, petentes illud à se offerentibus suscipi, & in acta sua ingrossari mandari, quorum affectationi Officium præsens annuendo, illud ab eisdem uti sanum & illæsum, omniquè suspicionis nota carens, suscepit, & in Acta sua ingrossari mandavit. Cujus tenor sequitur talis:

SIGISMUNDUS III. Dei Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæquè, nec non Regni Sveciæ proximus Hæres, & futurus Rex.

Significamus præsentibus Literis nostris quorun interest universis & singulis, exhibitas Nobis fuisse Nomine Venerabilis Gedeonis Bałaban Leopoliensis Haliciensis Vladicæ Literas Pargamineas Titulo Serenissimi olim Stephani Prædecessoris Nostri inscriptas, Manuquè Ejus subscriptas, atquè Sigillô Regni majori Communitas, sanas ac integras, omniquè suspicione carentes, Supplicatumquè Nobis fuit, ut easdem auctoritate Nostra Regia approbare & confirmare dignaremur. Earum verò Exemplum de Verbo ad verbum sequitur, estquè tale:

STEPHANUS Dei Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæquè, Princeps Transylvaniæ.

Significamus præsentibus Literis Nostris, quorum interest

Universis

Universis & singulis, productas fuisse apud Nos per Venerabilem Gedeonem Bałaban Vladicam Haliciensem ac Leopoliensem Literas vetustas Leonis Filij Regis Danielis habentes Sigillum, appensum corruptum seù potius Sigilli speciem in serico pendentem, continentesquè Concessiones quasdam per Ducem eundem Leonem Ecclesiæ Haliciensi Ritûs Græci, Ejusquè Metropolitæ Gregorio factas, tum etiam Jurisdictionem in sui Ordinis Homines, hoc est; Ecclesiarum Rectores, & Ministros, quorum in ipsis iisdem Literis copiosius habetur descriptum. Supplicatumquè Nobis fuit prædicti Vladicæ Nomine, quo literas easdem, ut quæ propter vetustatem ad corruptionem spectare videantur, innovare, easdemquè Authoritate Nostra approbare, & confirmare dignaremur. Earum verò tenor de Verbo ad verbum sequitur & est talis:

А҆ сѐ а҆́зъ Кнѧ́зь Лє́въ Сн҃ъ Королѧ̀ Даніи́ла, згада́вшисѧ є҆мо̀ зъ на́шими Бо́ѧры, Пра́дєдъ на́шъ Ца́рь вели́кій Влади́мєръ, и҆ О҆ц҃ъ На́шъ, и҆ пєда́лъ Мітрополи́тѡмъ и҆ є҆пⷭ҇пѡмъ по всѣ̑мъ зємлѧ́мъ Рꙋ́скимъ, ꙗ҆́кожъ и҆ Мы̀ Бг҃ꙋ, и҆ прⷭ҇тои́ є҆гѡ̀ Мт҃ри ко Црⷦ҇ви ст҃гѡ є҆ѧ̀ Оу҆спе́нїѧ Крилоскимъ Попѡ́мъ Собо́рнымъ Мітрополі́и Га́лицкой, и҆ всѣ̑мъ А҆рхїєпⷭ҇кѡпѡмъ и҆ є҆пⷭ҇кѡпѡмъ, и҆ Монастырє́мъ Православной ст҃ой Вѣ́ры Грє́чєской, далѝ є҆мо̀ Пра́во Дꙋ́ховноє, по

томъ

Et ecce Ego Dux *Leo Filius Regis Danielis initô Consiliô cum Senatoribus Nostris, Proavus noster Rex Magnus Vladimirus, & Pater Noster, addidit Metropolitanis & Episcopis per omnes Terras Russiæ, sicut & Nos DEO, & Purissimæ Ejus Matri ad Ecclesiam Sanctæ Ejus Dormitionis Kryłosiensibus Poponibus Capitularibus Metropoliæ Haliciensis & omnibus Archiepiscopis & Episcopis & Monasteriis Orthodoxæ Sanctæ*

Fidei

то́мъ же ка́къ держи́тъ Кі́ев-
ская Цр҃ковъ по хр҃ті́анскомꙋ,
и҆ ст҃ыхъ О҃цъ оу҆правле́нїю,
и҆ потверди́лнеемо прида́ня
Церко́внїе на вѣ́ки вѣ́чнїе.
Се́ла зъ людмѝ, и҆ По́ля зъ
лѣ́сы, и҆ е҆щѐемо далѝ на
тотѝ селѝ Гра́моты о҆соб-
ли́вїи межѝ На́шихъ Грани́цъ
и҆ Боя́рскихъ, и҆ въ и҆́хъ по-
ляхъ и҆ лѣ́сехъ, вызнача́ючи
Грани́цы, я҆́къ бы́ло и҆ зда́в-
на. и҆ придалнеемо Деся́ти-
ны съ На́шего и҆ Кня́зкія,
и҆ ѿ прево́зовъ, невозме́тъ
Десяти́нꙋ, и҆ по Боя́рскимъ
Се́лѡмъ, прида́ннїе и҆ да́ны
Медо́вїе, выхо́ды и҆ бо́рты,
и҆ Ры́бныя ло́вища, и҆ Е҆́зера
да́емъ Цр҃кви ст҃ой Бг҃ома́-
тери Митрополі́тѣ На́шемꙋ
Григо́рїю, и҆ по не́мъ бꙋдꙋ-
чимъ А҆рхїеп҃коп ѡмъ, комꙋ̀
Бг҃ъ и҆зво́литъ, и҆ да́етъ дер-
жа́ти на вѣ́ки и҆ пожива́ти,
и҆ Це́рковь ст҃ꙋю пра́вити и҆
ря́дити, а҆ за На́ша Пре́д[illegible],
и҆ за На́съ, Мл҃тиваго Бг҃а
проси́ти, а҆ ктомꙋ̀ е҆щѐ при-
да́емъ Кꙋ́ны въ Ро́къ съ По-
пѡ́въ дава́ти, и҆ Сꙋдѝ Дꙋ-
хо́внїя Сꙋди́ти Цр҃ковь Сто-
ли́чная ѿ мі́рскихъ въ за-
ко́нѣ

Fidei Græcæ, dedimus Diploma Spirituale, ita ſicuti tenet Kijovienſis Eccleſia juxtà Chriſtiana & Sanctorum Patrum ſtatuta, & confirmavimus Fundationes Eccleſiaſticas in Sæcula Sæculorum. Villas cum Hominibus, & Campos cum Sylvis, & adhuc dedimus pro his Villis Diplomata particularia inter Noſtros Limites, & Senatorum, ac Subditorum campos & Sylvas, deſignando granicies, ſicuti fuit ab antiquo, & addidimus Decimas de Noſtro & Principum, & de tranſnavigatione per fluvium, non accipiet Decimam, & ex Procerum Villis, additæ & dationes Mellis, paſcua & alvearia, & piſcinas & lacus damus ad Eccleſiam Sanctæ Deiparæ Metropolitæ Noſtro Gregorio & poſt illum futuris Archiepiſcopis, quibus Deus voluerit, & dederit tenere in ævum & utifrui, ac Eccleſiam Sanctam regere & gubernare, & pro noſtris Prædeceſſoribus, ac pro Nobis Miſericordem Deum exorare. Et inſuper adhuc addimus

ко́нѣ ѿлꙋчи́ни, Распꙋсты, Сваде́бщини, и҆ беззаконнопоѧтїѧ всѐ Дꙋхо́внїе Пра́ва Сꙋдѧтъ А҆рхїеп҃копы, а҆ сі́и лю́дїе ѡ҆прѝшнїи Церко́внїи: И҆гꙋмены, Попо́ве, и҆ Дїа́коны, и҆ Сщ҃е́нницы, При́четницы Церко́внїи, и҆ Черно́ризцы, И҆ко́ннїи Пи́сарове, Попо́вичове, и҆ Дѧ́ци, Проскꙋрникове и҆ Бг҃адѣ́лнїи, и҆ Стра́ннїи, и҆ тї́е лю́дїе Церко́внїе во́лны ѿ На́съ, и҆ ѿ Бо́ѧръ На́шихъ, ѡ҆блада́етъ и҆ сꙋди́тъ и҆̀хъ Вели́каѧ Це́рковь, ѻ҆прочъ Мі́рѧнъ. А҆ на Моѐ сло́во не тре́ба ѹ҆стꙋпа́тисѧ нѣкомꙋ̀, ни ѿнѧ́ти, ни Дѣтемъ Мои́мъ, ни ты́мъ комꙋ̀ по на́съ Бг҃ъ да́сть на вѣки вѣчнїе. А҆ сѐ ѹ҆пра́вилнеемо ст҃ы́хъ ѻ҆ц҃ъ, и҆ пе́рвыхъ Царе́й Хрїстїа́нскихъ. А҆ кто̀ на Моѐ сло́во ѹ҆стꙋпитъ, Сꙋдъ ми съ ни́мъ пре́д Бг҃омъ, и҆ ѿлꙋче́нъ бꙋ́детъ Милости Бж҃їѧ, въ де́нь стра́шнагѡ Бж҃огѡ Сꙋда̀, и҆ да бꙋ́детъ клѧ́тва Бж҃аѧ на не́мъ въ се́й вѣкъ и҆ въ бꙋдꙋщїй.

На то́жемо

mus Martes vulgò Kuny in Anno à Poponibus accipere, & Judicia Spiritualia exercere Ecclesia Cathedralis à Sæcularibus in Religione Separationes, divortia, Sponsalia, & illegitima Matrimonia secundum Jura Spiritualia judicabunt Archiepiscopi. Hi autem homines exempti Ecclesiastici: Hegumeni, Popones, & Diaconi, & Sacerdotes, Clecrici Ecclesiastici, & Monachi, Pictores, Notarij, Presbyterorum Filij, & Abecedarij, hostiarum pistores, sculptores, & Peregrini, & hi homines Ecclesiastici liberi à Nobis & Senatoribus nostris, gubernabit & judicabit eos Magna Ecclesia & non Laici. Et in meo Verbo nulli est cedendum, nec debet recipi à meis filiis, nec ab illis quibus post Nos Deus dabit in Sæcula Sæculorum, Hoc autem statuimus juxtà Sancita Sanctorum Patrum & primorum Regum Christianorum. Si quis autem meo verbo cedet, judicium mihi erit cum illo coram Deo, & privatus erit Misericordiâ

V2 *Dei*

На то́есмо Гра́моту На́шу далѝ, и҆ Печа́ть свою̀ привѣсили. А҆ при то́мъ былѝ Митрополі́тъ Кі́евскій Купріа́нъ, Влад҃ка Перемышля́скій Ларіо́нъ, и҆ Кня́зь А҆ндрей Ꙗ҆росла́вичъ, и҆ Па́нъ Васко̀, и҆ и҆нныхъ Бояръ мно́го было̀ при то́мъ. А҆ пи́сана и҆ дана̀ Гра́мота въ Га́личи въ Четверто́къ, Мѣсяца Ма́рта, въ о҆смый де́нь, Лѣта Шесттысящнагѡ о҆смсо́тногѡ девятогѡ.

А҆ Пи́сецъ Заха́рія Выхо́тъ.

Dei in die tremendi Judicij Dei, & sit maledictio Dei super illum in hoc Sæculo & in futuro.

Pro quo Diploma nostrum dedimus, & sigillum nostrum appendimus. Et huic præsentes erant Metropolita Kijoviensis Cyprianus, Vladica Præmisliensis Hilarion, & Princeps Andreas Jarostawicz, & Dominus Wasko, & alij Senatores multi erant præsentes. Scriptum autem & Datum Diploma Haliciæ. Die Jovis 8. Mensis Martij. Annô 6809.

Notarius Zacharias Wychot.

Nos igitur Rex Stephanus admissâ benignè & Clementèr eâ, cujus suprà mentionem fecimus Supplicatione, Literas easdem hic insertas ob earum vetustatem innovandas esse duximus, innovamusquè per præsentes, atquè easdem & quidquid in illis continetur, quatenus illæ usu sint comprobatæ, & Juris publici ratio permittit, approbamus, ratificamus, & confirmamus; decernendo eas ratas, atque firmas fore in omnibus Earum Clausulis & Conditionibus, roburquè suum debitum perpetuis temporibus obtinere debere. Jn cujus rei fidem hasce Manu nostra subscripsimus, & Sigillô Regni communiri mandavimus. Datum Varsaviæ in Generalibus Regni Comitijs, Die Ultima Mensis Januarij Annò Domini 1581. Regni verò Nostri Annô Quintô.

STEPHANUS REX. Petrus Tylicki.

Nos itaquè prædictæ Supplicationi uti justæ benignè annuendo, præinsertas Literas, in omnibus earum punctis, Clausulis, Conditionibus, & articulis, quantum Juris Communis ratio permittit, ususquè earum habetur approbamus & confirmamus præsentibus Literis nostris, easque debitum robur obtinere semper volumus. In Cujus rei fidem præsentes manu Nostrâ subscriptas, Sigillô Regni Minori communiri mandavimus, Datum in Comitiis Regni Generalibus Varsaviæ die prima Mensis Octobris Annô Domini 1592. Regni nostri Annô Quintô.

SIGISMUNDUS REX. Alb: Rychlewski

Originale offerentibus post ingrossationem in instanti est restitutum, de quo Officium præsentibus quietatur.

Ex Actis Castrensibus Capitt: Halicien Extraditt.

Correxi CHODYKIEWICZ

(Locus Sigilli Castren:)

Legit Łoziński

Ex hoc Diplomate vetustissimo constat

I. Danielem, Patrem Leonis non fundâsse Cathedram Metropolitanam Haliciensem, sed antiquitus fundatam bonis cumulasse, ipsumquè Leonem ejusdem Ecclesiæ dotem auxisse.

II. Non unum fuisse in Russia Metropolitanum Archiepiscopum, sed plures, & ante Danielem Regem jam fundatos, ita enim Leo testatur: *Pater Noster addidit Metropolitanis, & Episcopis per omnes Terras* Russiæ.

III. Duos diversos fuisse Archiepiscopos Metropolitanos, unum Haliciensem Gregorium, ut patet ex his Leonis Verbis: *Damus ad Ecclesiam Sanctæ Deiparæ, Metropolitæ Nostro Gregorio.* Alterum Kijoviensem Cyprianum, ut liquet ex his verbis: *Et huic præsentes erant Metropolita Kijoviensis Cyprianus.* Ex cujus luculento testimonio tale eruitur ineluctabile argumentum: Duo Episcopi eodem Annô ejusdem sedis non possunt esse simul; at eôdem Annô 1301. Gregorius præfuit Haliciensi Metropoliæ, Cyprianus verò Kijoviensi Metropoliæ præsidebat: manifestum igitur est, Haliciensem distinctum fuisse Metropolitam à Kijoviensi.

IV. Comprobat hanc diversitatem Metropolitæ utriusquè Authoritate Regia SIGISMUNDUS AUGUSTUS, qui in Privilegio Nominationis in Episcopum Leopoliensem Macario Tuczapski impartito, de quo inferius Sermonem instituo pleniorem, ita testatur: *Sub potestatem illius damus Ecclesiam Haliciensem Metropolitanam, in qua quondam Archiepiscopus, alias Metropolitanus eorum præsidebat, qui nunc eorum lingva* Kryłos *dicitur.* Ex his verbis colligitur, propter diversam Jurisdictionem, non propter residentiam, Ecclesiam Haliciensem appellatam fuisse Metropolitanam. Utiquè Summus Pontifex residebat Avenione in Gallia, nec tamen propter residentiam appellabatur Avenionensis Pontifex, sed Romanus, nec Ecclesia Avenionensis appellata est Ecclesia Romana propter residentiam Papæ Avenione continuam, Sicut æquè nec Metropolita Kijoviensis propter residentiam in Urbe Moscua, in quam Sedem Suam detulerat, appellatus est Metropolita Moschensis, sed Kijoviensis, ita pariter non propter residentiam Haliciæ, Metropolita appellatus est Haliciensis, sed propter distinctam jurisdictionem à jurisdictione Kijoviensis Metropolitæ. Si

enim

enim à residentia Haliciensi ita appellaretur, quælibet residentialis Metropolitæ Ecclesia, foret Metropolitana, quô nihil absurdius dici potest.

V. Adstipulatur his Curopalates, Græcus scriptor, qui Libro de Officiis Constantinopolitanæ Ecclesiæ recensens subjectos Patriarchæ Metropolitas, tres in Russiæ partibus enumerat Metropolitas, Kijoviensem scilicèt, Haliciensem, & Litvaniæ. Vitoldus quidem Magnus Dux Litvaniæ Russiam in duas Metropolias Kijoviensem, & Novogrodensem partitus est, quæ non diu in unam postea redactæ sunt. Duces verò Russiæ Haliciensem distinxerunt Metropolitam, cui Haliciam, Leopolim, & Camenecum cum suis Terris in Jurisdictionem tradiderunt, qui alios Suffraganeos Episcopos habuisse non legitur, aut si fuerint, qui illi essent, vetustis Literis proditum non habemus. Hoc tamen nihil obest Metropolitano Haliciensi, Archiepiscopus enim Metropolitanus Kijoviensis diu quoquè caruisse Suffraganeis Episcopis legitur apud Nicetam Choniatem. Porrò cum unus tantum, & alter Haliciensis Metropolita non diuturnam obtineret hanc dignitatem, antequam instituerentur ejus Suffraganei, Episcopi, absquè illis Archiepiscopali honore, & Jurisdictione utebatur.

CAPUT III.

Proponuntur tria Argumenta contraria, & solvuntur.

I. LEO Dux præfatum Diploma in Præsentia Cypriani Metropolitæ Kijoviensis scripsisse dicitur Annô 1301. At hôc Annô Cyprianus nec dum natus,

minus verò renunciatus est Metropolita, Annô enim 1376. electus est: Ergo hôc Annô non potuit adhiberi in testem Diplomatis à Leone Principe.

℞. Chronologiam Metropolitarum Kijoviensium prorsùs erroneam, & vitiatam esse, demonstravi superius à primo Micháële ad Hilarionem, emendatis itaquè Sessionis Annis, cuilibet Metropolitæ assignatis, constat, Cyprianum allegatum in Diplomate Leonino, successisse Maximo, ac sedisse ab Anno 1296. ad Annum 1308. Alterum verò Cyprianum inauguratum esse Annô 1376. Primus præsens erat dum Diploma Leonis scriberetur Annô 1301. non alter Cyprianus, qui longè posteriori tempore vixit. Quod ergo de primo asseritur, alteri attribuit Patronus adversæ sententiæ confundens primum Cyprianum cum altero, Ruente igitur falso fundamento, tota vis difficultatis ruat, necesse est.

II. Juxtà Stricovium, Scriptorem Litvanum, Leo cum Romano Duce Branscensi gladio Gedimini cæsus occubuit, Annô 1276. Ergo Annó 1301. jam non supervixit, quomodo igitur hôc Annô Diploma suum poterat expedire, nisi fortè post mortem?

℞. Stricovius falsi convincitur in allegata violenta Leonis morte, etenim Eruditus Zimorovius ex vetustis documentis Archivi Consularis Leopoliensis in sua triplici Leopoli MSS. 1672. de Leonis obitu hæc verba habet: *Leo mitior Agno ante mortem, placidè vitam consummavit Annô 1301. justa ei nullo apparatu, modico sumptu, sine frivolis pompæ militaris ludicris, uti supremis tabulis mandaverat, per soluta sunt. Elatus à Fratribus Basilianis sacco pullo indutus, Crucifixi Jmaginem utraquè manu prætendens, Russis complorantibus.* Eôdem ergò Annô 1301. licèt non eodem Mense, nam Diploma scribi jusserat Mense Martio, diem extremum

Obivit

Obivit Leo, non occisus à Gedimino, sed à gladio ejus aufugiens, non Annô 1276. ut fingit Stricovius, aut quisquis alter, sed Annô 1301. Vetustis enim Leoninæ Urbis secretioribus Actis, quæ nullus scriptor anteà viderat, major fides est adhibenda, quàm recentiorum Scriptorum narratiunculis ex Conjecturis solis emanatis.

III. Quùm Gedeon Episcopus hoc Diploma Regibus confirmandum dedisset, jam tum lacerum, & vetustate corruptum erat; ut nequè Sigillum dignosceretur: Ab illo ergo vitiatum fuisse constat, qui ab Unione Romanæ Ecclesiæ recesserat, undè in Synodo Brestensi Annô 1576. Sacris fuit interdictus, dequè Sede Episcopali dejectus.

℟. Jmò sinceritas hujus Diplomatis ex ipsa vetustate convincitur, si enim Gedeon illud vitiâsset, recentiorem potius fabricâsset Literam, integrumque apposuisset Sigillum, Cùm ergò ruditas Scriptionis Sæculum incultum redoleat, & vetustas ad corruptionem scriptum illud redegerit, absit; ut à Gedeone confictum, aut vitiatum suspicemur. Deindè non rectè infertur falsificatio Diplomatis ex recessu à Communione Ecclesiæ, hæc enim verba: *Orthodoxæ Sanctæ Fidei* in Diplomate illæsa legimus. Porrò Gedeonem Episcopum Catholicum fuisse constat ex subscriptione Epistolæ Synodicæ ad CLEMENTEM VIII. per Hypatium Legatum missæ Annô 1594. Undè incredibile est; ut post Rescriptum CLEMENTIS datum Annô 1595. in Schisma prolapsum, & Episcopatu privatum Gedeonem admittamus. Hæc de Haliciensi Metropolia illustrandæ Sacræ Historiæ causâ scripsi, deficiente tamen hac Metropolia, Metropolita Kijoviensis simul Haliciensis, & totius Russiæ intitulatur, & scribitur.

DISSERTATIO III.

De Epiſcopatu Leopolienſi, Halicienſi, & Camenecenſi ſimultaneo.

I. MAgnanimus Leo occiſô Woyſielcone, Mendogi Litvanorum Regis Filiô Vladimiriæ, finemquè Litvanici belli faciens, Ad Annum 1267. teſte Stricovio, Princeps & Monarcha totius Ruſſiæ renunciatus, propter ſecuritatem dominij ſui, in ipſo limine Ruſſiæ Montem Convallibus numeroſis impeditum ſuſpicatus, laborioſo aditu hoſtibus arcendis opportunum, Caſtrum è trabibus cæſis ibi excitavit, prævalidis ſudibus circumvallavit, ipſe quoquè in eadem ſpecula excubiturus, Sedem fixit. Hic ergo Mons arce inſeſſus primordium infra radices ſuas Urbi Leoninæ fundandæ dedit. Cæterum Princeps hyemem unam in penetralibus arcis commoratus, propter áërem importunum, & continuo flantem, domicilium mutavit, nec procul Curiam inferius habitationi accommodam propè Templum S. Joanni Baptiſtæ Sacrum, à Baſilianis Monachis inhabitatum ſtatuit. Familia Ducalis domus ligneæ, per plateolas diſpoſitæ, oppidum quoddam copioſum efformârunt, confluentibus undiquè diverſarum nationum hominibus. Condidit itaquè hanc Urbem à Suo Nomine, quam Ruſſi ſuo idiomate vocârunt Lwihorod, Leonis Oppidum, Annô 1268. ut ex ipſius Leonis Diplomate, quod pro fundatione Prædicatoribus dederat, Annô poſt conditam Urbem Leopolim ſecundo, Chriſti 1270. exploratum eſt. Jntereà Leſcus Niger, Dux Poloniæ, ulciſcens injurias, quas à Leone acceperant Poloni, hanc ejus Civitatem

oriri

oriri cæptam, igne combuſſit, ac ipſum Leonem fugavit, circà Annum 1269. Eo igne Curia Ducis, unà cum Cænobio & Capella Monachorum Sancti Baſilij, conflagravit, in qua coram Jcone Deiparæ cantando Pſalterio erant dediti. Conſtantia igitur Mater Leonis totum Curiæ ſpatium Prædicatoribus de Societate Peregrinantium inter gentes propter Chriſtum impetravit à filio, quod ejuſdem Diplomate firmatum fuit. Monachis Baſilianis ad Ædem Sancti Joannis Baptiſtæ, ad radices Móntis Calvi ſitam, translatis.

II. Rebus humanis exemptô Leone Annô 1301. & Romano Ejus fratre, ſine maſcula prole decedentibus, per illorum germanas Sorores Principatus Ruſſiæ pedetentim ad Litvanos, deinde ad Polonos migravit. Lubartus enim Gedimini Filius, cum Sororem Leonis Agaphiam duxiſſet uxorem, omni eo tractu Ruſſiæ, qui Litvanis finitimus, potitus eſt. Cætera Ruſſia, quæ Haliciâ & Leopoli in Podoliam vergit, Troideno Semoviti Ducis filio, qui Mariam, alteram Leonis Sororem acceperat, obvenit, cujus poſteà filius Boleslaus, hæres Ruſſiæ factus, nec tamen diuturnum dominatum habuit, offenſi enim Ruſſi incontinentiâ ejus, venenô eum de medio ſuſtulerunt. Quod ubi accepit Caſimirus Rex, ejus Nominis tertius, cognomentô Magnus, cum Exercitu, Menſe Aprili Leopolim venit, Ruſſiamquè occupavit, ingentibûs theſauris in Caſtro inferiori inventis, Ruſſiam in formam Provinciæ redegit, novam Urbem Leopolim in veſtigiis antiquæ ſtatuere deſtinavit, dorſum montis Caſtro, & propugnaculis exornavit, Urbem vallis, muro munivit, Germanis militibus præſidium pacis & belli commiſit, Urbanam ex oppidana fecit, quam Germani Lemburgam. Latini Leoburgum, & Leopolim, aut Leontopolim appellârunt. Inter quadraginta quinquè Caſtella, &

viginti ſex Urbes à ſe erectas, plus dotis Leopoli præ cæteris contulit, illam unicè dilectam, ſæpius viſitatam inhabitavit, munivit, Privilegiis auxit, & tuebatur.

III. Hanc Metropolim Ruſſiæ proprio SIXTI V. Pontificis Maximi Stemmate inſignitam, tres Epiſcopatus decorant diverſorum Sacrorum Rituum. Antiquitate temporis primus eſt Jlluſtris Nationis Armenicæ, quæ in Auxilium à Ducibus Ruſſiæ expetita, & conducta, primum Archiepiſcopum, Joannem è Regio Sangvine deſcendentem habuit Annô 1363. qui præter Cathedralem Baſilicam Aſſumptionis Deiparæ in Urbe, tria in Suburbio Cracovienſi S. Crucis, S. Annæ, & S. Jacobi poſſidet Templa. Alter ejuſdem Aſſumptionis Deiparæ titulo Conſecratam habet Eccleſiam Archiepiſcopalem Latini Ritûs, Joannes enim Rzeſzowſki Sedem Suam Archiepiſcopalem Leopolim traſtulit Annô 1414. Ultimus Halicienſis, primus Lemburgenſis ſeù Leopolienſis Archiepiſcopus Salutatus. Quadraginta habet Templa, quorum pleraquè ſunt ornatiſſima, Coronata Jcone Deiparæ apud Prædicatores, Corpore Beati Joannis de Ducla apud Minores Obſervantes, quos Bernardinos vocant, & Corpore integro Venerabilis Jacobi Strepa Archiepiſcopi Halicienſis, apud Minores Conventuales, quorum Frater & decus erat, inſignitus. Tertius Epiſcopatus Ritûs Græci Uniti poſſidet Leopoli quatuordecem Templa, inter quæ ſunt tria antiqua Monaſteria Ordinis S. Baſilij Magni, primum S. Georgij Martyris, ſecundum S. Onuphrij, tertium S. Joannis Evangeliſtæ in nemore, ad declivium Caſtri Superioris ſitum. Jn Urbe extat Celeberrimum Templum Aſſumptionis, quod Stauropigianum appellatur. Jn Suburbio verò Halicienſi Templum & Monaſterium S. Georgij Martyris Fundatorem Suum recognoſcit Leonem Ducem Urbis Conditorem, qui ſvaſu Baſilij Ducis Hali-

cienſis

cienſis Patrui Sui in Supercilio Collis Oratorium fagineum erexit, Mandris Aſcetis Baſiliani Jnſtituti Sodalibus circumdedit, Divo Georgio Martyri in tutelam & titulum vovit Annô Domini 1280. Baſilius verò Princeps, quem Ruſſi Waſzkonem vocabant, cruenti animi Vir audax & bellicoſus poſt juventam in Caſtris actam, poſt multa bellorum incommoda ſenio confectus in Monachum Sancti Baſilij ſpontè tonſus, ſpecum rubetis hiſpidam, infra Montem Sancti Georgij inhabitabat, cruentam Arcis Sandomirienſis devaſtationem, ductu ſuo patratam, auſteritate vitæ expiare ſatagebat. Ut ex vetuſtis Actis Conſularibus refert Eruditus Zimorovius in ſua triplici Leopoli MSS. Beneficio Demetrij Principis fuſa eſt Æra Campana ex pretioſo metallo jucundè ſonora Annô à Creatione Mundi 6849. ut conſtat ex inſcriptione Slavonicis Literis ibi expreſſa, qui Annus à Creatione Mundi juxtà Calculum Græcum, correſpondet Anno Incarnationis 1341. Deindè Annô 1370. Opere lateritio extructum eſt Templum eodem Architecto, quo Cathedralis Eccleſia Armenica, Inſigne hujus Templi decus eſt, Sacra Jmago Deiparæ Virginis, quæ ex Caſtro Trembovlienſi huc translata eſt Annô 1673. proptèr devaſtationem Podoliæ à Turcis illatam, cujus triſtiſſimum præſagium erat miraculoſa lachrymarum effuſio ex oculis Deiparæ Virginis, & Chriſti JESU, quadraginta enim diebus, & totidem noctibus lachrymâſſe hanc Jmaginem memoriæ proditum eſt, Annô 1662. die 26. Martij. Tantâ clade perterriti Poloni ad Caſtrum Trembovlienſe cum Sacra Mariæ Icone confugerunt, Ejuſquè in ultimo vitæ diſcrimine auxilium experti ſunt, quatuordecim diebus Caſtrum obſidentibus Turcis, ac bellico pulvere clam mæniorum effoſſis cuniculis ſuppoſito, everſionem Caſtri, ac excidium intentantibus, non ſine ingenti prodigio pulveres

 ſpontè

ſponte accenſi, in ipſos hoſtes erumpentes, eos ab aditu Caſtri rejecerunt. Nocte verò ſequenti Deipara Virgo ſplendido amictu decorata, mænia Caſtri deambulans, minax viſa eſt non ſolùm à Palatinis Valachiæ & Moldaviæ, qui tunc in Caſtris Turcarum vigiles erant, verùm etiam ab ipſis hoſtibus, qui timore percuſſi, ab expugnatione Caſtri receſſerunt. Sacra Verò Jmago annuente Joſepho Szumlański Epiſcopo, per Dionyſium Alexandrowicz Superiorem Monaſterij Trembovlienſis, Leopolim ad Ædem S. Georgij aſportata, Miraculis illuſtris hucuſquè in magna aſſervatur Veneratione. Hujus rei geſtæ memoria, in tabella Slavonicè conſcripta eſt, quam ex Depoſito ejuſdem Monaſterij mihi communicatam obtinui. Tandem Athanaſius Szeptycki, Metropolita & Epiſcopus Leopolienſis everſó antiquô Templô, novæ Baſilicæ excellenti arte erigendæ fundamenta poſuit, quô vivis ereptô, Succeſſor Ejus Leo Szeptycki Epiſcopus Leopolienſis feliciter modernus, eandem perfecit, Palatio quoquè novo exornavit, cum ingenti Urbis Ornamento. In contiguo huic Baſilicæ Monaſterio Baſiliano, excellenter florent Studia Theologica cum honore & utilitate Eccleſiæ.

IV. Originem huic Cathedræ dedit defectio proprij Archiepiſcopi Metropolitani Halicienſis, qui adminiſtrabat Halicienſem, Leopolienſem, Camenecenſem, & Trembovlienſem Terram. Porrò crebris bellorum tumultibus poſtquam Ruſſia in Regis Poloni dominatum & hæreditatem venerat, ceſſante Archiepiſcopatu Halicienſi, per Vicarios adminiſtrabatur cùm Kijovienſis, tum Halicienſis Eccleſia, Kijovienſis enim Archiepiſcopus in Urbe Moſcua Sedem ſuam collocaverat, quo factum eſt, ut pro percipiendis rebus Sacris aut in Moſchoviam, aut in Valachiam recurrendum erat. Hac re pertæſi Nobiles Ru-

theni

theni Suo destituti Pastore, Supplicârunt Sigismundo Augusto Regi, ut illis proprium Pastorem providere dignaretur, quorum justis desideriis annuit Rex, ac Macarium Tuczapski, Vicarium Haliciensis, & Leopoliensis Ecclesiæ ad S. Georgium, Episcopum nominavit, Verba Regia ex Diplomate dato Cracoviæ feriâ quintâ post Festum undecim millium Virginum proximâ, Annô 1539. Regni sui Annô Trigesimô tertiô, in medium profero: *Locum tenens Haliciensis & Sancti Georgij extra muros Civitatis Nostræ Leopoliensis Honorabilis Macarius Tuczapski, vulgari Nomine Namieśnik dictus, qui hactenus Metropolitani ipsorum Archiepiscopi Haliciensis locum administrare & tenere dicitur.* Et paulò inferius: *Cui quidem Vladicæ Macario sub potestatem illius damus Ecclesiam Haliciensem Metropolitanam, in qua quondam Archiepiscopus, alias Metropolitanus eorum præsidebat, qui nunc eorum lingva Kryłos dicitur.* His Regiis Literis quid Clarius adferri potest, pro demonstranda & comprobanda Metropolia Haliciensi à Kioviensi omninò distincta.

Jllustratô itaque Statu & Origine Episcopatûs Leopoliensis Haliciensis, & Camenecensis, Seriem Chronologicam Episcoporum ex Authenticis collectam Documentis exhibeo.

EPISCOPI

Leopolienses, Halicienses, & Camenecenses juxtà Sessionis Annos proponuntur.

I. MACARIUS.

Mundi 7047. Annô Christi 1539.

Cognomine Tuczapski Nobilis de Stemmate Prawdzic,

wdzic, quem memorant Acta Castri Leopoliensis Annô 1537. Cum esset Vicarius seù Locum tenens Metropolitæ Haliciensis ad postulationem Nobilium promotus est & inauguratus à Sigismundo Augusto Rege Episcopus Leopoliensis, Haliciensis, & Camenecensis, ut constat ex Regio Diplomate, quem Macarius Metropolita Kioviensis consecravit, ut patet ex Ejusdem testimonio, quod ex Slavonico Jdiomate Latine refero:

Macarius Divina & Castissimæ Ejus Matris Miseratione Archiepiscopus Metropolitanus Kioviensis Haliciensis & Totius Russiæ.

Universis &c. Quoniam Archiepiscopatus Metropoliæ Haliciensis ab aliquot Annorum Centenariis amissus, & extinctus fuerat, carens longo tempore suo Pastore Halicia, Leopolis, & Camenecum, Sigismundus Rex & Magnus Dux Lithvaniæ Sanctæ & gloriosæ memoriæ Princeps Noster considerans, quod in his primariis Civitatibus Gloria Dei ingens damnum pateretur, nec non ovile Christi suo destitueretur Pastore, proindè Sua Majestas quorundam Nobilium postulationibus inclinata, dignata est illis providere Episcopum, ac Episcopatum Honorabili Macario Tuczapski conferre: Nos igitur juxta Voluntatem & Mandatum Regium hunc Macarium in Episcopum Metropoliæ Haliciensis consecravimus, & benediximus, ac per Nos in Vicarium seù Suffraganeum in loco Episcopi Nostri Curialis constituimus, conferentes ei potestatem in Causis Spiritualibus.

Macarius itaque institutus Episcopus congregatis Præsbyteris diversorum Templorum Leopoliensium Parochis, videlicet Zacharia Parocho S. Theodori, Stephano S. Nicolai, Antonio Theophaniæ, Jacobo Annunciationis, Gregorio Resurrectionis, Autonomo Transfigurationis, Joanne

Prote-

Protectionis Deiparæ, Gregorio Ascensionis, & Zacharia Diacono, antiquam neglectam consvetudinem resuscitavit Celebrandi cum præfatis Præsbyteris Congregationem seù Capitulum & Causas spirituales Judicandi in Ecclesia Cathedrali S. Georgij Martyris, juxta formam in aliis Episcopatibus servari solitam ut constat ex ejusdem Macarij documento Authentico Slavonicè in Pargameno Scripto Annô 1539. Mensis Novembris die 16. Quod subindè Macarius Metropolita confirmavit. Integrum verò Instrumentum in medium non profero, nisi initium Ejus cum sit nimis prolixum, adservatur illud in Archivo Episcopali.

Jn Nomine Patris & Filij & Sancti Spiritûs Amen

Fiat ad perpetuam Memoriam, & firmitatem & immobilitatem in Sæcula Sæculorum.

NOs humilis Macarius Episcopus Haliciensis, Leopoliensis, & Camenecensis in Podolia. Notum facimus præsentibus Literis Nostris, universis præsentibus & post futuris, tam Dominis Nobilibus, quàm Dominis Civibus & Sub urbanis, & omnibus Orthodoxis Christianis Sacri Ritûs Græci, omnibus has Literas Nostras visuris, qualiter fecerimus, & rem jam collapsam renovaverimus, quæ deperierat à multis temporibus usquè ad præsens, quod causæ Spirituales erant ad hanc Sanctam Cathedralem Ecclesiam Sancti Magni Martyris Christi & Victoriosi Georgij Leopoli ante mænia, & Consistorium Spirituale erat ad Laudem Dei, id est Capitulum erat. Igitur Nos humilis Macarius Episcopus Metropoliæ Haliciensis Vladica Leopoliensis & Camenecensis in Podolia, sæpius habitô Consiliô, qualiter faciendum esset, aliis relictis negotijs, se-

cundum Donationem Sanctæ Consubstantialis & Individuæ Trinitatis, & Supervenientis Sancti Spiritûs, convocatis Præsbyteris Leopoliensibus, fecimus Capitulum, quibus Præsentibus & futuris strictè tenendam formam reliquimus, quemadmodum in aliis Episcopatibus servari solet &c. Datt Annô Domini 1539. *Mensis Novembris Decima sexta die.*

Macarij verò Metropolitæ Testimonium quo à se Consecratum refert Macarium Tuczapski Episcopum Leopoliensem, confirmatum est ab eodem Sigismundo Rege, in Conventu Regni Generali Lublini die 15. Julij, Annô 1566. & à Vladislao IV. Leopoli 12. Octobris 1624. Actis quoquè Castri Jnferioris Leopoliensis ingrossatum Feriâ quintâ post Dominicam Conductûs Paschæ proximâ, Annô 1635, Sedit Macarius in Episcopatu Annis Novem, Cui Successit.

II. ARSENIUS I.

Mundi 7056. Annô Christi 1548.

Jn Albania floruit antiqua Nobilis Bałabanorum Familia, ex qua Baderam Balabanum Turcici Exercitûs Supremum Ducem, victoriis clarum memorat Raynaudus Annô 1465. Ex Albania subindè in Poloniam, & Magnum Ducatum Litvaniæ migravit Marcus Bałaban, cum duobus filiis, primus erat Gedeon, deindè Episcopus. Leopoliensis, alter Basilius Vir militaris, qui plures posteritati reliquit bellatores egregios. Marcus itaquè solutô Matrimoniali vinculô Spirituali militiæ adscriptus, post decessum Macarij, meruit à SIGISMUNDO AUGUSTO Rege ad Episcopatum Leopoliensem promoveri, ut constat ex ejusdem Nominationis Privilegio, Feriâ quintâ, ipso die S. Lucæ Annô 1548. Petricoviæ expedito, cujus

Authogra-

Authographum in Archivo Epiſcopali conſervatur. In Conſecratione, mutatô Nomine Marci, aſſumpſit Nomen Arſenij. Emendandus eſt R. P. Gaſpar Nieſiecki Soc: JESU, Vir cæteroquin eruditiſſimus, qui Arſenium Fratrem Gedeonis fuiſſe aſſerit, cum certum ſit, Gedeonem filium fuiſſe Marci, non fratrem, ut infrà in Gedeone videbitur. Sedit Arſenius ab Anno 1548. ad Annum 1568. Cui ſucceſſit.

III. JOANNES

Mundi 7077. Annô Chriſti 1569.

Hunc plerique Scriptores Arſenium appellant ſed immeritò, quùm Nomine Joannis Epiſcopi facta fuerit Relatio per Martinum Dobrzańſki in Caſtro Halicienſi, ut patet ex Actis Feriâ quintâ poſt Feſtum Aſſumptionis Deiparæ Annô 1569. quo renunciatus eſt Epiſcopus. Fuit de Nobili genere Cognominatus Oſtałovius Łopatka, Sedit Annô unô, cui ſucceſſit.

IV. GEDEON

Mundi 7078. Annô Chriſti 1570.

Filius Marci, nuncupati Arſenij Bałaban, ut conſtat ex informatione Joſephi Szumlańſki Epiſcopi, in cauſa ejuſdem cum Metropolita circa Diæceſim Halicienſem, porrecta Sacræ Nunciaturæ, ut Acta Ejuſdem Varſaviæ teſtantur. Promotus ad Epiſcopatum, inſtituit Sodalitatem Sancti Theodori Martyris, in Suburbio Cracovienſi Leopoli ſitam, ut patet ex Diplomate ejus in pargameno Slavonicè ſcripto cum penſili Sigillo, Annô à Creatione Mundi juxtà Græcum Computum 7097. qui cor-

respondet Annô Christi 1589. mihi exhibito à R. D. Petro Prymowicz, Surrogato Leopoliensi, Parocho Templi Theodoriani. Diploma Leonis Ducis pro Ecclesia Haliciensi confirmandum à Stephano, & Sigismundo III. Regibus curavit Annô 1592. De illo Simon Okolski noster, insignis Orbis Poloni Scriptor Tom. 1. pag. 444. hæc habet: Gedeon ritûs sui Promotor ardentissimus, sed in Schisma suum cæcutiens. Hinc Advocatus Romanus in Restricto Juris & facti Annô 1753. Sacræ Congregationi de Propaganda Fide porrecto, asserit Gedeonem prôpter recessum ab Unione, Sede Episcopali dejectum fuisse, Si hæc vera sunt, nisi Gedeon accesserit ad Communionem Romanæ Ecclesiæ, conciliari non possunt, cum ejus subscriptione Synodicæ Epistolæ ad Clementem VIII. Annô 1594. missæ, ita enim subscriptus legitur: *Gedeon Bałaban Episcopus Leopoliensis.* Si enim Annô 1576. Episcopatu privatus fuit, post consensum ineundæ Communionis Romanæ, restitutum Annô 1594. fuisse manifestum est. Sedit Gedeon Annis triginta Septem.

V. HIEREMIAS
Mundi 7115. Annô Christi 1607.

Eustachius in Sacro fonte appellatus, in Episcopatu Hieremias, de Nobili Tyssarowsciorum domo, Stemmate Sas insignita, originem habuit, ad postulationem Nobilium Virorum Haliciensium & Leopoliensium à SIGISMUNDO III. Rege promotus ad Episcopatum die ultima Octobris, Annô 1607. Cracoviæ, ut constat ex Diplomate Regio quod adservatur in Archivo Episcopali sub Litera W. Sedit Annis Triginta quatuor. Cui successit.

VI. ARSENI-

VI. A R S E N I U S II.

Mundi 7149. Annô Chriſti 1641.

Nobili genere Zeliborſkiorum in Palatinatu Ruſſiæ ortus, à VLADISLAO IV. Rege Poloniæ promotus ad Epiſcopatum, à Petro Mohyła, Archiepiſcopo Metropolitano Kijovienſi diſunito conſecratus die 17. Novembris, Annô 1641. ut conſtat ex ejuſdem Authentica inſtitutione, quæ adſervatur in Archivo Epiſcopali ſub Litera R. Arſenius porrò Synodo, quam Parthemius in Moldavia ad configenda Calviniana Cyrilli Lucaris Patriarchæ Conſtantinopolitani placita, convocaverat, aderat, ſubſcripſitquè, ut teſtatur Micháël Le Quien in Oriente Chriſtiano. Sedit Annis novem. Cui ſucceſſit.

VII. A T H A N A S I U S I.

Mundi 7158. Annô Chriſti 1650.

Frater Germanus Arſenij, à JOANNE CASIMIRO Rege promotus ad Epiſcopatum, & ab eodem Petro Metropolita conſecratus, Sedit Annis Septemdecim. Cui ſucceſſit quidem Jeremias Swiſtelnicki, ſed non diù poſt, Epiſcopatum Joſepho Szumlańſki ceſſit, proindè in ſerie omittitur.

VIII. J O S E P H U S

Mundi 7175. Annô Chriſti 1667.

Joannes in baptiſmo appellatus, in Religione Baſiliana Joſephus nuncupatus, ex Nobiliſſima Szumlanſkiorum Familia, Stanislaum Rothomagiſtrum, & Annam Hoſzowſkiam, parentes, Alexandrum S.R.M. Rothomagiſtrum, & Annam Poniatowſkiam Avos ſortitus eſt. Inter

ter ſex Fratres primogenitus, primò Equitem Regiæ Cohortis egit, quem JOANNES III. Rex, in quadam Epiſtola ita laudavit: Tam in bellicis, quàm in publicis expeditionibus, & functionibus præſtitis multoties ſat, ſuperquè inſignis. A Joanne Caſimiro Rege renunciatus Epiſcopus Leopolienſis die 27. Februarij Varſaviæ Annô 1667. ut conſtat ex Diplomate Regio Archivi Epiſcopalis. Communionem Romanæ Eccleſiæ ſuſcepit Annô 1704. Profeſſione Fidei factâ in manibus Cardinalis Radzieiovij Primatis, coram Nuncio Apoſtolico Varſaviæ, magnus Sanctæ Unionis deinceps zelator, & promotor factus. Templum Dormitionis Deiparæ Virginis in Urbe Leopolienſi, quod Stauropigianum vocant, à Schiſmaticis poſſeſſum, die SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, in Aſſiſtentia Stanislai Jabłonowſki Caſtellani Cracovienſis, Supremi Ducis Exercituum, filij ejus Palatini Ruſſiæ, & Vexilliferi Regni, multorumque Nobilium, ex Spirituali verò Statu, Conſtantini Mrozowicki, Adminiſtratoris Archiepiſcopatûs Sede vacante, Prælatorum, & Religioſorum, nec non Magiſtratûs Conſularis, recepturus venit, ſed quùm januam Templi benè obſeratam reperiſſet, obtentis à Jabłonovio militibus, qui per tegulas vicinioris lapideæ Domûs ſubintrantes, abditas Eccleſiæ portas ſecuribus reſerârunt, iterquè ad Templum Epiſcopo, & hoſpitibus patefecerunt, ubi Sacram Liturgiam cantavit, cujus tempore egregium ſermonem habuit de Sancta Unione P. Daniel Szumlańſki Ordinis Prædicatorum ejus ex Fratre Nepos. Eccleſiam illam reconciliatam Joſephus Catholicis conſignavit, ſed à plebe inconditas voces multorum audire patientèr debebat, quas tamen flocci pendebat, non ignarus, nullum melius eſſe probitatis teſtimonium, quàm odio haberi ab iis, qui oderunt probitatem. Templum Cathedrale Halicienſe in Kryłos

è funda-

è fundamentis erexit, ut ejus in fronte Templi testantur Arma gentilitia. Ad eandem Ecclesiam bona spectantiá Perehińsko nuncupata cum suis attinentiis, quæ diu à sæcularibus Nobilibus occupata possidebantur, longo Juris processu & impensis vindicavit, & Ecclesiæ Suæ restituit, Constitutioneque Anni 1690. confirmari curavit. Sacram Deiparæ Imaginem ex Trembovliensi Arce propter Turcarum, & Tartarorum hostilitatem, Leopolim ad Templum S. Georgij Martyris Solemni ritu transtulit, propter Cujus majorem venerationem, Capellam contiguam erexit, ac pro animæ suæ suffragio ad eandem Jmaginem, certam Summam pecuniariam legavit, inscripsitque. Capituli Ecclesiarum suarum Cathedralium jura neglecta, & intermissa, pristino statui restituit, ac renovavit, confectô hac de re instrumentô Leopoli die 10. Julij. Annô 1700. Tam præclarè rebus gestis, de Ecclesia Catholica bene meritus, migravit è vivis, cum sedisset Annis Quadraginta tribus.

IX. BARLAAM

Mundi 7218. Annô Christi 1710.

Ex Clarissima SZEPTYCCIORUM Prosapiâ exortus, quadraginta Annorum tempore Abbatiæ Unioviensis dignitatem gessit, de eadem optimè meritus. Ecclesiam illam, Residentiam Abbatialem, ac Monasterium reædificavit, profundis fossis, vallis, & aquæductu circumdedit, ac munivit, tandem ab AUGUSTO II. Rege nominatus post decessum Josephi Episcopus Leopoliensis Annô 1710. die Decima Septima Februarij Varsaviæ, ut constat ex Diplomate Regio ejusdem Archivi Episcopalis, à Georgio Winnicki Metropolitano totius Russiæ consecratus,

per quinquennium ovile ſuum in Sancta Unione pavit plenus Annorum & meritorum.

X. ATHANASIUS II.
Mundi 7223. Annò Chriſti 1715.

Ejuſdem SZEPTYCCIANÆ Familiæ Lumen, decus, & Ornamentum, primò Abbas Unioviensis, deinde ab eodem AUGUSTO II. Rege nominatus Epiſcopus Leopolienſis die decima ſeptima Aprilis Annô 1715. à Leone Kiſzka Metropolitano totius Ruſſiæ, conſecratus eſt Leopoli, quem Laudatus Leo in Synodo Zamoſciana Suum voluit eſſe Coadjutorem & Succeſſorem, quod AUGUSTUS II. Rex, ratum, & gratiſſimum habuit. Annis quatuordecim præfuit Leopolienſi Cathedræ, antequam Metropolitana dignitate augeretur, in qua conſtitutus, eumdem Epiſcopatum cum diſpenſatione Apoſtolicæ Sedis retinuit ad Obitum Suum.

XI. LUDOVICUS LEO
Mundi 7255. Annô Chriſti 1747.

Succeſſit Athanaſio, Virtute Simillimus Paſtor, Philoſophicis & Theologicis in Collegio Pontificio Leopolienſi Convictorem agens, in Collegio Romano, quod Nazaræmum vocant, iterùm Theologicis diſciplinis, in Academia Eccleſiaſtica Juris Canonici, & Civilis ſcientiâ adeò excellentèr eruditus eſt; ut in Romano Gymnaſio Sapientiæ, Doctoralem Lauream meruerit obtinere. Egregiis animi dotibus, lingvarum peritiâ, & omni ſcientiarum genere excultus, cum rediiſſet in Patriam, Baſilianum Jnſtitutum amplexus, Sancti Leonis Magni Doctoris, &

Maximi

Maximi Pontificis Nomine insignitus, probationis religiosæ expletô tyrociniô, Monasticam Vitam professus est, coram Athanasio Metropolitano, à quo Concionatoris Metropolitani Officium sibi impositum cum toto quadriennio laudabiliter gessisset, ac in Capitulo Generali Dubnensi coram eodem Metropolitano, uti Præsidente, magnoque Virorum illustrium congressu die Sanctissimæ Trinitati Sacrâ Oratorem eruditum egisset, ad Abbatiam Mielecensem promotus est die Translationis Sancti Nicolai Episcopi, cujus Nomine hæc Abbatialis Ecclesia insignitur. Eodem Sancto Nicolao patrocinante, post decessum Athanasii Metropolitæ, ab AUGUSTO III. Rege, Cui, præ aliis Candidatis charior, & acceptior apparuit, Nominatus est Episcopus Leopoliensis, Haliciensis & Camenecensis die Nonâ Martij, Annô 1747. ut constat ex Regio Diplomate Dresnæ expeditô, quem Theophilus Godebski, Episcopus Vladimiriensis Prothotronius Sedis Metropolitanæ, delegatus à Floriano Hrebnicki Metropolitâ, unà cum Theodosio Łubieniecki Rudnicki, Episcopo Luceoriensi & Ostrogiensi Exarcha totius Russiæ, nec non cum Adamo Woyna Orański Episcopo Bellinensi, Suffraganeo Camenecensi, Ritûs Latini, in Ecclesia Abbatiali Mielecensi, die Dominicâ Pentecostes, quæ incidit in diem decimam quartam Maij Solemni Ritu Annô 1749. consecravit. Itaque in Pastorali Officio constitutus, curas, & solicitudinem Clero reformando, Ecclesijs juvandis, earumque juribus vindicandis impendit. Ad Ecclesiam Stauropigianam in Urbe Leopoli insignem, Clerum Sæcularem Cælibem sub Præposito locavit. Ecclesiam Zarwanicensem, & Buczniowiensem, Præpositura paritèr & Vicariis exornavit, plerosque ex Clero suo Viros doctos Capitularium Prælatorum prærogativis honorando confirmavit. Ad Sacros Ordines

neminem nisi competenti scientiâ instructum, & à Collatoribus cum sufficienti dote Ecclesiæ præsentatum admittere statuit, & admittit. Ecclesiam Suburbanam Cathedralem Leopoliensem S. Georgij Martyris, Cujus fundamenta Athanasius Metropolita Prædecessor Ejus posuerat, ejusdem relicti æris subsidio, suis quoquè ac Cleri collatis sumptibus, unà cum Palatio Episcopali, ac necessariis residentiis, excellenti artificio cum ingenti Urbis decore ædificavit, ac perfecit. Eandem Curam Ecclesiæ suæ Haliciensi voluit esse testatam, præter enim domum ligneam pro residentia sua commodam, impensis suis ædificatam, Decretum in Tribunali Regni Leopoli celebrati 1765. pro vindicandis avulsis ad Villam Perehińsko spectantibus obtinuit, Villam quoque Podgrodzie ad eandem Haliciensem Cathedram spectantem è manibus Sæcularium juris precessu recuperavit. Certas Summas pecuniarias pro Præsbyteris Sæcularibus Prælaturis insigniendis, ac pro Seminarij Alumnis inscripsit. In Oppido Horodenka Templum insigne à Nicolao Potocki Palatinida Belzensi munificentissimo Fundatore erectum pro Præsbyteris Sæcularibus Ritûs Rutheni Uniti in Cælibatu viventibus, titulo Missionis fundatum, Solemni Ritu consecravit. Coronationi STANISLAI AUGUSTI Regis Poloniarum Potentissimi cum aliis Sui ritûs Episcopis interfuit, ac subscripsit, locumquè immediatum post Episcopos Senatores cum jure assistendi Regibus obtinuit. Ab eadem Regia Majestate inter Equites Sancti Stanislai Episcopi & Martyris, adscribi meruit die 8. Maij Annô 1767. Quantus sit Sanctæ Unionis cum Romana Ecclesia defensor, in ultimis Comitiis Generalibus patuit, Non unitis enim prætendentibus quinque Unitorum Episcopatus unà cum multis Ecclesiis, & Monasteriis suæ potestati subijcere, avellere, & distrahere, tam fortitèr &

constan-

constanter restitit fretus auxilio Regiæ Majestatis, ut suam integritatem, Conservationem & tutelam Ecclesia Ruthena Catholica debeat Leoni Episcopo, fortissimo Fidei Propugnatori, tantæquè dexteritatis actum perenni commendare memoriæ teneatur. Gedeonem Daszkowicz Horbacki post decessum Georgij Bulhak. Nominatum Episcopum Pinscensem, & Turoviensem, in Assistentia Samuelis Głowiński Episcopi Hebronensis, Suffraganei Leopoliensis, ac Stanislai Raymundi Jezierski Episcopi Bacoviensis, Decani Capituli Leopoliensis Assistentis Solij Pontificij, ex Ordine Prædicatorum assumpti, in Ecclesia S. Geotgij Martyris Vices Mesropolitani gerens Jure Administrationis, Solemniter consecravit Annô 1769. Denique ut de Virtutibus Ejus, quæ tam Celebres, tamque numerosæ sunt, ut hâc paginâ, paucisque Literis comprehendi nequeant, summatim loquar, Præsulem Deo, & hominibus dilectum, Ecclesiæ tuendæ strenuum, Regibus fidelissimum, Patriæ proficuum, Proceribus Regni acceptissimum, cunctis amabilem & affabilem, Divina Bonitas diutissimè servet incolumem. Accessit hoc Annô 1770. Benedictio in Abbatem Drohobuscensem, quam Jllmus LEO Episcopus die 23. Aprilis in Ecclesia Cathedrali S. Georgij, ipsa die eidem Martyri Sacra, Revmo Patri Theodosio de Ducibus Szuyski Ordinis S. Basilij Magni, Solemni Ritu impertitus est.

FACULTAS ORDINIS.

Fr. ALBERTUS SLOTWINSKI Sacræ Theologiæ Magiſter. Prior Provincialis Provinciæ Sancti Hyacinthi in Ruſſia, Sacri Ordinis Prædicatorum

Jn DEI Filio Sibi dilecto Reverendo Patri Fr. CLEMENTI CHODYKIEWICZ S. Th. Præſentato Ejuſdem Ordinis & Provinciæ Salutem.

CUm deſignatus à Nobis Adm Rndus ac Eximius Pater Fr. THOMAS KASPROWICZ S. Th Magiſter, *Diſſertationes Hiſtorico-Criticas* de utroq; Archiepiſcopatu Metropolitano Kijovienſi & Halicienſi, nec non de Epiſcopatu Leopolienſi Ritûs Græco-Uniti, à Te compoſitas legerit, & dignas luce publica judicaverit, ideò Tenore præſentium Noſtriq; Authoritate Officii Tibi ſupranominato Rndo Patri CLEMENTI Præſentato facultatem concedimus illas imprimendi, ſi Jlluſtriſſimo Ordinario Loci ita videbitur. Jn Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti Amen. Jn Cujus rei fidem has Literas Sigillo Officij Noſtri munitas, manu propriâ ſubſcriptas dedimus in Conventu Noſtro Leopolienſi Suburbano Sanctæ Mariæ Magdalenæ die 21. Maij Annô 1770.
Reg. Pag. 42.

Conſervus in Domino
Fr. ALBERTUS Mgr. Prior
Provincialis P.R.O.P. mpp.

Fr. Hyacinthus Solſki S. Th. Lector Prior
Rubei Caſtri & Socius mpp.

JUDICIUM THEOLOGI.

Dissertationes Historico Criticas jussu Eximij Adm Rvdi Patris Fris ALBERTI SŁOTWINSKI Sacræ Theologiæ Magistri Provincialis Provinciæ Sancti Hyacinthi in Russia Ordinis Prædicatorum Ab Adm Rdo Patre Fr. CLEMENTE CHODYKIEWICZ Sacræ Theologiæ Præsentato non minûs diserto quam erudito calamo exaratas, legi; Jn quarum decursu Seriem Archiepiscoporum Metropolitanorum Kioviensium nec non Leopoliensium Episcoporum in luce positam, dissipatis tenebris ex varietate Chronologorum in suis opinationibus enatis animadverti. Cum igitur nihil Contrarium Fidei Orthodoxæ, Moribus quoque offenderim, dignas luce publicâ ad legentium utilem notitiam Censeo. Salvo meliori Judicio.

Fr. Thomas Kasprowicz S. Th. Mgr. mpp.

APPROBATIO JLLMI LOCI ORDINARIJ

JMPRIMATUR.

Liber intitulatus: *Dissertationes Historico-Criticæ* ab Admodum Reverendo Patre CLEMENTE CHODYKIEWICZ Sacræ Theologiæ Præsentato, magno & erudito labore conscriptæ, diligenter & accuratè lectæ, quæ cum nihil in se Orthodoxæ Fidei, bonisque moribus dissonum contineant, quinimo ad curiosa scienda lectorem alliciant, ideò dignas censeo, ut Typis mandentur. Datt Leopoli 15. Junij Annô Domini 1770.

LUCAS GODUROWSKI Primicerius Ecclesiæ Metropolitanæ Leopoliensis Judex Surrogatus mpp.